

DAVIDIS GERTMANNI
EXERCITATIO
ANTI-RÖELLIANA,

Qua, Pauli doctrinam ab ei per

ALEXANDRUM
HERMANNUM RÖELLUM,

In Academia Ultrajectina Theologiz non ita pridem
Professorem,

COMMENTARIO IN PRINCIPI-
UM EPISTOLÆ AD EPHESIOS,

Afficto abscluto Electionis decreto immunem esse,
Ex infinita Dei Sanctitate deducitur, atque inde simul,
fidei & salutis fundamentum cvertere id,

Contra
CHRISTOPHORUM MATTH.
PFAFFIUM,

Theologum & Cancellarium Tübingensem,
asseritur.

ALTONAVIAE,
TYPIS JOD. HENR. BAAK. M.D.CC.XXIX.

I. diss. A
. 27

SLUB

VIR O
SUMME REVERENDO, MAGNI-
FICO, EXCELLENTISSIMOQUE,
DOMINO
JO. ANDREÆ
GLEICHIO,
S.S. Theol. Doctori Celeberrimo,
Proto Synedrii Dresdensis Assessori
Gravisimo,
Ac
Potentissimi Poloniarum Regis &
Saxoniae Electoris
Concionatori Aulico Meritisimo,

DOMINO
meo & Patrono

Observantissime colendo.



Vir

Summe Reverende Magnifice Excellentissimeque

Domine & Patronē

Observantissime colende.



Unquam Scriptum hoc, quod fundamen-
tale Religionis Christianæ Caput defen-
dendum suscipit, oculis Tuis exponere ani-
mum induxissem, nisi publice inter omnes
constaret, Te non esse ex illorum numero,
quibus dum religionem Christianam externo
Charitatis habitu metiuntur, Polemica ita fastidio sunt, ut & eos,
qui istius fundamentum eversuros oppugnare collaborant, à se quam
remotissimos esse capiant, ausu certe, ut leviter dicam, incauto
& Charitati plane inimico. Etenim Charitas vere talis, seu Chri-
stiana, prærequit fidem in Christum, sine qua nulla est vere ta-
lis Charitas; fides autem in Christum notitiam postulat distinctam
Christi & Personii & officii, divinæ revelationi conformem, quæ
ubi deficit, ibi ipsa fides exultat. Iste ergo, qui vera fidei in Chri-
stum notitia imbutus non est, non potest non etiam Charitate ve-
ra destitui. Neque ab externis actionibus, quæ charitatem præ-
ferunt, statim ad internum animi affectum colligi potest, quis o-
lus charitas illa haud tucata est, cuius externæ actiones signa
quædam sed probabilia tantum sunt: cum reperiantur echontes
morphos in eusebeias, tenet de dunam non autes earnem enoi, i-
pseque Satanus, eo ipso dum Leonis rugientis instar querit quem
devoret, metaschematismon in angelum lucis induere vaferri-
mo calleat. Haud minus ita sentientes charitati adversari aper-
tum

(2)

rum est. Nam qui alicui persuadere doctrinam studet, quæ sa-
luti ejus damnum infert. is sane charitatem vehementer lædit:
sed qui eos qui falsam sibi de Christi persona & officio ideam for-
mant, qua Christi loco phantasma quoddam intuetur, extra sa-
lutis periculum versari adstruere annuitur. is dum citra fidem in
Christum salvati homines posse docet, ipsum salutis fundamen-
tum subruit. Quanto longius adeo, Vir Summe Reverende
ac Magnifice, Te ab hac infausta Pseudo-Prophetarum societate
disjungis, tanto felicius veræ in Christum fidei & Charitati
accedis, viæ, qua alios ad salutem ducis, ipse firmi er insistens. Præ-
ter sermones publicos, quibus per tot annos maximo illorum,
qui eloquia tua non humanæ sapientiæ verba sed logia tu Theu-
esse sentiunt, cum applausu Cathedra Ecclesiastica Tua personat.
Iloquentur id tot Scripta Tua, quibus hypotyposin hygianon-
ton logon constanter sequi Te dudum publice profiteris, cui
tutandæ haud minus in ardua Proto-Synedrii Assessoris statione
invigilas. De quibus cum etiam singularis Tua inde à multis
annis perspecta erga me benevolentia & cumulatio in me col-
lata merita adhuc amplius me confirmant, haud dubitavi quin
codem, quo me præsentem dignari soles, vultu, libellum hunc
Summe Reverendo ac Magnifico Tuo Nomi sacratum, ad-
missurus sis. Sic servet Te Potentissimum Numen in canam
usque senectutem, animi ac corporis dotibus florentissimum, in
Ecclesiæ levamen sicutientis præsidium. **Quod** intimis precibus
Voyce

Summe Reverendi ac Magnifici Nomini

Tui

Cultor observantissimus

David Gertmann.



S. I.

Post humani generis Lapsum ad salutem nemini patere aditum, nisi qui ea, quæ istum adepturis credenda sunt ex divina revelatione hauserit, omnes, qui Scripturam Sacram Principium religionis adæquatum esse affirmant, verbis quidem profitentur: Sunt tamen inter hos ipsos, qui à divinarum Literarum veritate tanto intervallo recedunt, ut, dum divinitus revelata Dogmata proponere se præferunt, non nisi corruptæ rationis placita exhibeant. Cum enim illi, qui in Theologia docenda sic occupantur, ut Revelationem Rationi postponant, sacrarum Literarum Auctoritatem aperte nihil minus negare haud consultu n ducant; hic rem via aggredi moliuntur, qua incautis, nihil quicquam à divina revelatione alienum asserere se, persuadeant. Hinc ex Principiis Rationis male intellectis conclusiones deducunt de religione hujusmodi, cuius idea cum illa, quæ in Scripturis revelata extat, directe pugnat; Sed ne isti contradicere videantur, sensum aliquem Scripturæ verborum, quibus inniti volunt, communis ei allaborant, cui efficta à se notio respondeat. Quid ergo de horum laboribus, quibus in Scriptura Sacra interpretanda versantur, emolumenti expectandum sit, facile liquere poterit, cum quilibet ejus, cui

A

se

se sociavit, Sectæ studio inductus haud alium Scriptis ~~geoz reuicois~~
 sensum inesse declaraturus sit, præter eum quem stabilendæ isti,
 quam, anteaquam ad Scripturam explicandam accessit, ex cor-
 ruptæ rationis dictatis de fidei Capitibus sibi formavit, ideae in-
 servire judicaverit. Et quamvis vel ipsa recta ratio ex naturali-
 bus suis Principiis hæc religionis monstra absurditatis evidenter
 convincere valeat; si nos tamen Auctores usque adeo adstrictos
 ista sibi tenent, ut non tantum pro Mysteriis divinitus revelatis
 eadem aliis obtrudere, sed & contra eos, qui reje~~c~~titia figmen-
 ta esse ista demonstrant, defendere annitantur. Quæ vero ad
 sanæ rationis examen admota indolem statim suam tam manife-
 ste produnt, ut, vel, si illa in Scriptura exteat. Auctorem ejus
 Deum non esse, vel, si originem suam Scriptura Deo debeat, ca-
 lia in ea revelari nullo modo posse pronuntiet.

§. II. Quod si clariori luci exponenda illa sunt, ostendo pec-
 culari quodam doctrinæ revelatae Capite, in quo in nem hanc
 operam insumat corrupta ratio, præ ceteris ad Calvinii Scholam
 nunc delati, fictitium illud de absoluto Electionis decreto dogma
 intuendo, illic id contingere edocebimus. Etenim licet com-
 mentum hoc jam olim, cum inter ardua fidei Mysteria nume-
 rari cuperet, in primis incunabulis, tanquam præsentissimum a-
 nimæ venenum, magno cum Zelo ex Ecclesia ejectum fuerit: in
 Calvinii tamen sectatorum coetu fixam sibi cursus sedem quesivit,
 tanta veneratione receptum, ut ex horum societate, si qui sibi ad-
 versari audeant, extrudi eos potius, quam de suæ se dignitatis
 fastigio perturbari postulet. Quæ ipsa adeo istos, qui ad illud mu-
 nus, quod sacerrimo isti religionis suæ Sacro invigilare jubet, ac-
 cerfuntur, commovent, ut haud cautius illi prospicere se posse
 arbitremur, quam si horridam istam faciem, qua foetum huncâ
 se exclusum corrupta ratio orbi fistit, ascitis ex Scriptura divinæ
 revelationis pigmentis obfuscare studeant. Itaque qui id negotii
 sibi datum existimant, quando ad divina Scripturæ oracula inter-
 pretanda se conferunt, tantum abest, ut illorum corruptæ ratio-

nis

nis tenebras fulgida horum lux dispellat, ut potius ex istius consilio indignum Deo revelante his affingant sensum, qui ipsorum commentis praesidium præbere videatur.

§. III. Id quod novis ausibus non ita pridem „Herrmannus Alexander Röel, tum Theologiæ in Academia Ultrajectina Professor, aggressus est, edito in Principium Epistolæ ad Ephesios Commentario, in quo Electionem ad vitam æternam à fide in Christum, tanquam causam impulsiva, absolutam esse, Paulum divinitus inspiratum ex instituto docere afferit. Delatus enim ad explicationem vs. 4. & 5. Commentar. p. 622. scribit: Primam, „causam & fontem omnium benedictionum spiritualium, docet, „Apostolus esse Dei Electionem & prædestinationem ad adoptionem, ex mera voluntatis ipsius εὐδοξία. Et p. 625. §. 3. hoc constituto marginali: Electio heic significat liberrimum Dei decretum, de quibusdam præ aliis ejusdem conditionis præter & contra ipsorum meritum salvandis: sic commentatur. Quando Deus heic, dicitur sanctos & fideles elegisse in Christo ante fundationem mundi, aut etiam in tempore hos illosve elegisse: Hoc vel, intelligi debet de electione tali, qua per judicium discretionis, quosdam aliis, ob præstantiam in illis prævisam, prætulerit, præ, aliis aestimaverit, atque amaverit, iisque meritum præmium ad, judicaverit & decreverit: vel pro libero decreto, quo eos sine ullo, ipsorum merito promero placito ex εὐδοξίᾳ sua, ex aliis pluribus, ejusdem naturæ & conditionis selegerit. iisque & salutem, &, omnia ad salutem necessaria, liberrime & liberalissime dare constituerit: vel pro ipso actu, quo, sive secundum judicium discretionis, delectu habito, unum ab alio ob præstantiam & merita, quæ in ipso invenerit, re ipsa segregaverit; sive secundum liberrimum & arbitrarium voluntatis suæ decretum ac propositionem quosdam ab aliis ita secreverit, ut id in iis efficaciter operatus sit, per quod ab aliis, cum quibus erant ejusdem naturæ, & conditionis, distinguantur. Hoc est. ex peccatoribus & reis, quales omnes homines natura sunt, Sanctos ac justos, filios, osque

osque suos ac heredes fecerit. Non potest per electionem heic,,
 intelligi segregatio quæ actu facta sit in tempore; totidem enim,,
 verbis electi dicuntur ante fundationem mundi. Et separatio,,
 ,unius ab alio quæ sit in tempore per vocationem efficacem, est,
 „ut visum, inter benedictiones illas, quæ dantur secundum ele-
 ,ctionem. Neque etiam amor Dei. & propositum benedicendi
 „ac salvandi, ortum ex judicio Discretionis de præstantia fidei,
 „sanctitatis, & bonorum operum ac meritorum, quam prævi-
 „derit in ipsis electis, & cujus causa atque origo sit in ipsis, quæ
 „que adeo, quatenus praevisa fuit, judicium Dei & electionem
 „ac propositum secundum illud, præcesserit, non vero ex ele-
 „ctione sequatur & fluat tanquam ex vera causa. Quomodo ho-
 „mines id eligunt, tanquam melius & præstantius, & præ aliis
 aestimant atque amant, quod melius & præstantius est; ita, ut
 „id, propter quod unum aestimant præ alio & eligunt, in eo
 „inveniant non faciant. Quandoquidem enim ejus quo homo
 „homini praestat, fidei, sanctitatis, ac bonorum operum, prima
 „causa Deus, non vero homo est; idque in iis non invenit, sed
 „ut statim videbitur, pro *eu&thi&z* sua, & ex proposito voluntati-
 „lis suæ operatur: nullam in homine præstantiam prævideret
 „potuit, ob quam cum judicio discretionis meliorem aliis judi-
 „caverit, & præ aliis aestimaverit, amaverit, atque elegerit: sed
 „omnis ejus præstantia liberrimae electionis divinae effectus est,
 „cum itaque verba haec Apostoli nostri intelligi & explicari ne-
 queant de electione amoris, quae sequuta fuerit, judicium de
 „electorum præstantia, quam in iis Deus præviderit, & ob quam
 „eos præ aliis elegerit: procul dubio intelligenda & explicanda
 „sunt de liberrimo & arbitrario Dei placito ac decreto, quo, ci-
 „tra intuitum ullius præstantiæ aut meriti in ipsis electis, ex me-
 „ra *eu&thi&z* voluntatis suæ quosdam ex aliis ejusdem naturæ &
 „conditionis hominibus selegerit, in quibus se per gratiam & mi-
 „sericordiam gloriosum & admirabilem demonstraret, iisque
 „beatam æternamq; vitam & omnia ad eam necessaria, præter
 „& contra omne ipsorum meritum, largiri decreverit. Et hunc
 esse

, esse verum verborum Apostoli sensum, tam ex ipso orationis
 „contextu, quam ex fidei & Scripturarum analogia, ipsarumq;
 „rerum natura. liquido patere, & validissime probari potest
 Quibus argumentis ad hoc probandum postea allatis, concludit
 , p. 633. Atque hæc omnia & singula abunde probant, electio-
 „nem in Christo non esse factam ante fundationem mundi pro-
 pter prævisim fidem aut bona apera sed ex mera Dei *eudonia*.
 „omnesque omnino benedictiones spirituales atque adeo & fidem
 „ac boni opera inde tanquam ex fonte vi meriti Christi, peref-
 ficat in Spiritus Sancti operationem ad electos diuinae, &
 „esse mere gratuita dona præter & contra omne meritum in elec-
 „tos collata.

§. IV. In quo quidem, quod fidem cause meritoriae ratio-
 nem ad electionem habere negat, nobis non adversatur, qui ne-
 quaquam fidem in Christum, sed solum Christi meritum causam
 meritioriam electionis esse affirmamus. Solum enim Christi me-
 ritum ea dignitate pollere qui Deum ut causa meritoria ad elec-
 tionem impulerit, constanter asserimus. At quia Deus à Chri-
 sti merito impulsus neminem elegit, nisi eum, quem fide finali
 apprehensurum videt Christi meritum, causam impulsivam exter-
 nam completam electionis dicimus Christi meritum fide finali ap-
 prehensum. Hoc igitur inter utriusque causalitatem discrimen
 constituimus, ut solum quidem Christi meritum causa impulsiva
 meritoria Electionis sit, fides autem in Christi meritum exinde cau-
 sa dicatur impulsiva Electionis, quia Deum impulit, ut eos qui
 bus in æterno decreto suo Christi meritum, dum hoc istos finali fide
 amplexuros prævidit, finaliter applicat, propter illud ipsis applica-
 tum elegit. Hinc ut à Christi meriti ad Electionem causalita-
 tate fidei ad eandem causalitas tanto evidenter discerni queat, in
 relatione ad Christi meritum, tanquam Electionis causam impulsivi-
 vam principalem, fidem causam impulsivam Electionis, cum addito,
 minus principalem appellare summi Theologi non verentur. Quan-
 doquidem vero Röellius fidem non posse ullomodo causam impulsivi-
 vam

vam Electionis esse, nisi meriti rationem ad Electionem obtineat, ita opinatur, ut omnem omnino simul causam impulsivam externam ab Electione excludat; ipsum non tantum fidem in Christum, sive quæ Christum apprehendit, sed etiam, quod idem est, Christi meritum fide apprehensum causam Electionis impulsivam esse, simpliciter negare satis appareat. Hoc pacto haud obscurum est, Paulini sermonis ejusmodi egisse Röellum Interpretem, qui illud, quod ex Calvini Schola arripuit, corruptæ rationis dogma Apostolum hoc loco professum esse, tam ex ipso orationis contextu, quam ex fidei & Scripturarum analogia, ipsaq; rerum natura docere sustinet. A quo proinde Pauli mentem ita prorsus abhorre, ut hæc Röellii interpretatio Apostoli sententiaz aperte repugnet, ex ipsis naturalibus Rationis Principiis evidentissime demonstrabo.

§. V. Evidet non diffiteor, illam de absoluta Electione doctrinam dudum haud paucorum opera suis nudatam coloribus in publica luce comparere, Röellum etiam, adversus quem hoc certamen paramus, vita jam excessisse ad nos allatum novimus: Verum quoniam omnium, quotquot ex Calvini Schola prodeunt, communis hæc cum Röellio causa est, nec desunt unquam, qui toutes debellatas hæreses, novo revelatae veritatis habitu indutas, in scenam producere gestiant, haud vanum me laborem suscepturum credidi, si sanctissimi Numinis gloriae ab antiqua hac, sed tot vicibus alias, & jam rursus per Röellum Renovata, isti quam maxime infesta hæresi vindicandæ temporis aliquid in penderem. Accedit quod ex Theologis quidam, qui Lutheranorum nomen non refugiunt, irenicis inducti consiliis eo usque nunc progrediantur, ut absolutum Electionis decretum fidei & salutis fundamentum non evertere, neq; sic eos, qui id docent, fundamentaliter errare, publice prohibeant. Quorum opinionem, ubi hoc dogma vel recta numero Ratio ex credendorum, ob manifestam ejus impietatem ejecerit, simul cum ipso concidere necesse erit,

SE-

m.v

SECTIO I.

§. I.

Neque adeo de Argumentis, quibus certamen hoc juxta rectæ rationis ductum conficiatur, longius mihi disquirendum erit, cum ipse Röellius, dum pro absoluto Electionis decreto pugnat, arma contra istud satis valida subministret. Nam Pauli doctrinam divinæ originis esse probaturus ad illius sanctitatem provocat. „Scribit enim Coment. p. 87. Qui Pauli doctrinam sine „præjudiciis & pia, attenta ac defecata mente considerquerit, de- „prehensurum esse, doctrinam ejus totam sanctam, Deo dignissimam, homini ad pietatem & salutem informando aptissimam esse. „Ut autem, pergit ib. de doctrinæ quam Paulus tradidit, sanctitato „ac divinitate restearbitrari possis, oportet, ut primum serio ex- „pendas, qualis esse debeat ea doctrina, quæ vere sancta & „θεοπεπτη: judicari queat. Nihil aliud ergo procul dubio deside- „rare ac requirer potes, quam ut talem præscribat religionem, quæ „si ad praxim transferatur, hominem reddat totum sanctum. San- „ctitatem etiam, quæ Deo naturalis est, describit p. 272. quod sit ea „divinæ voluntatis perfectio, quæ omnia ex amore sui agat; con- „venienter naturæ & perfectionibus suis ad gloriam suam. Inde „concludit p. 273. judicandum de omnibus Dei in natura & gra- „tia actionibus, deque Exercitio tum justitiae tum misericordie, „in omnibus quippe elucere illam sanctitatem Dei.

§. II. Jam ex his, quæ Röellio recta ratio suggesit, contra Röellium colligo:

Quicquid sanctitatem Dei negat, ipsamque a deo Dei natu- ram tollit, illud neque vel per Paulum, vel per ullum alium reve- latum est, neque revelari unquam potest.

Absolutum Electionis decretum Dei sanctitatem negat, &c.

E. Absolutum Electionis decretum neque vel per Paulum, vel per ullum alium revelatum est, neque revelari unquam potest.

§. III.

§. III. Majoris veritatem Röellio monstrat sana ratio.

Minorem probo:

I. Quidquid Scientiam Dei infinitam negat, illud sanctitatem Dei negat.

Absolutum Electionis Decretum Scientiam Dei infinitam negat.

E. Absolutum Electionis decretum Dei sanctitatem negat.

Major constat, quia omnia Dei attributa tam aeterno nexu inter se & cum divina essentia coharent, ut uno negato negentur cetera ipsaque divina natura Deo detrahatur, & sic ex Deo fiat non Deus. Speciatim infinita voluntatis divinae sanctitas ita presupponit infinitam intellectus divini scientiam, ut hac negata, [illa] removenda sit.

Minor probatur: Quicunque non praescit futura ante decretum de illis vel efficiendis vel permittendis, ille non novit omnia. Non enim novit omne objectum scibile.

Deus, vi absoluti decreti, non praescit futura, ante decretum de illis vel efficiendis, vel permittendis.

E. Deus, vi absoluti decreti, non novit omnia.

Minor hujus argumenti probatur: Nam Deus, vi absoluti Electionis decreti, non elegit homines motus a fide praevisa, propterea, quia nihil praescit, nisi ante decreto absoluto id determinaverit.

§. IV. II. Quicquid Sapientiam Dei infinitam negat, illud sanctitatem Dei negat.

Absolutum Electionis decretum Sapientiam Dei infinitam negat. Ergo.

§. V. Majoris veritas manifesta est ex §. III. Minor hujus Syllogismi probatur.

[I.] Quicunque aliquid decernit, anteaquam id, quod decernit, cognovit, ille non est sapiens.

Deus, vi absoluti decreti, decernit aliquid, anteaquam id, quod decernit, cognovit.

E. Deus

E. Deus, vi absoluti decreti, non est Sapiens.

Major est extra controversiam.

Minorem Röellius docet, dum absolutum decretum statuit, per quod ita decretum divinum præscientiæ divinæ præponit, ut istud hujus causam constituat.

§. VI. [2.] Quicunque aliquid ex pluribus eligit, sine ulla in illo, quod eligit causa, quare id eligat, is fatui instar inter homines agere censetur.

Deus, juxta absolutum decretum, quosdam homines ex pluribus eligit, sine ulla in illis causa, quare eosdem eligat.

E. Deus, juxta absolutum decretum, non est Sapiens.

Major evidens est.

Minor propugnatur à Röellio.

Quanquam alias Röellius hæc doceat, per quæ ita stabilitur Propositio Major, ut Conclusio & Minor falsitatis damnentur. Nam Comment. p. 771. ait; Velle in substantia rationali est, in rem aliquam cum scientia & ratione convenienter & sive & rerum naturæ, prout tanquam bona, vel mala observatur, ita spontaneo, motu ferri, ut eam probet vel improbet; appetat & desideret, vel, aversetur & fugiat; optet & petat, vel deprecetur & detestetur, præcipiat, aut vetet; vel etiam, si possit efficere vel impedire & amoliri, decernat. Si ergo objectum aliquod propterea quod intellectui humano illud obversatur vel ut bonum, vel ut malum, voluntas vel eligit, vel aversatur, hoc ipsum sive, quod vel bonum, vel malum in illo objecto esse intellectus judicat, est causa, sive ratio, quare istud objectum voluntas vel eligat, vel aversetur. Tum p. 1010. sic docet. Est idem πρόθεσις propositum Dei, & βέλη τε σεληνος γενετικά consilium voluntatis ipsius. Posteriora enim adduntur ad explicandam πρόθεσεως divinæ naturam, βέλη autem significat decretum animi nixum rationibus, atque a deo in emphasi decretum deliberatum, & factum rationibus bene, subductis. Et p. 1011. ut intelligatur non abesse à Dei decreto, sapientiam; βέλη γε consilium vocat. Ex quibus concludo: βέλη

B

signi-

significat decretum nixum rationibus. Porro, quia Br̄λη &
 decreti divini naturam, juxta Röelliu[n], explicat, & à Decreto
 divino non abesse Sapientiam notat, ergo decreti divini natura hæc
 est, ut rationibus nitatur, atq[ue] ita, ut, hoc ipso quod rationibus ni-
 titur, decretum sapienter formatum esse intelligatur. Viderut qui-
 dem Röellius quod hoc pacto concessit, Dei decretum bene sub-
 ductis rationibus nisi, rursus everttere velle, hunc in modum locu-
 tus, ac si, quam dedit, t[er]e Br̄λē descriptionem humanis tantum
 decretis convenire declarasset. Scribit enim p. 1010. In Deo
 „locum non habet deliberatio. Ea enim oritur ex ignorantia vel
 „impotentia, quando vel, quid utile nobis & salutare sit, nescimus;
 „vel, ad quid vires nostræ sufficiant, quid eas superet, perpendere
 „debemus. In Deum nec ignorantia nec impotentia cedit; cum
 „Deus ad decernendum, neq[ue] rationibus extrinsecis moveri &
 „impelli, neq[ue] vel in decernendo, ignorantia, vel exequendo im-
 potentia impediri possit. Quod si hæc ejus mens est, cur per Br̄-
 λy, sive consilium à se sic descriptum explicari decretum divinum
 dixit? Cur Br̄λy absolute adeoque generatim, abstrahendo à di-
 vino & humano consilio, exposuit esse decretum nixum rationi-
 bus? Hæc mutuo se tollunt. Sed nec fieri potest, si humana de-
 creta eo modo se habeant, ut non etiam modo aliquo, cui iste im-
 perfectus, qui in humanis decretis obtinet, umbræ instar assimili-
 letur, à quo autem omnis illa imperfectio, quæ humanis decretis
 adhæret, quam longissime sit remota, in divinis decretis res se ha-
 beat. Competunt enim Deo, Enti perfectissimo, omnes perfe-
 ctiones in genere Entis, quæ perfectionem cum imperfectione
 involvunt, eminenter, quæ perfectionem cum nulla imperfectione
 notant, formaliter. Nec dissentire poterit Röellius ita de Deo
 , ratiocinatus pag. 268. Comment. Notio Dei, est notio rerum omni-
 um quæ cogitari possunt perfectissimæ. Perfectissimum esse
 , est, sine ullo perfectionis defectu ullave imperfectionis mixtura
 „perfectissimo modo esse & operari. Perfectissimo modo es-
 se, est, cum conscientia sui, a se necessario atque adeo sine initio
 & causa æternum & immutabilem esse, omnemque perfectionem
 sine

sine ullo incremento & decremento in se & a se habere ac possi-
dere, & nullo modo non esse, ut quicquid est, aut esse aut concipi,
potest, vel ab ipso, vel in ipso sit. Quod enim ita est, ut se esse,
nesciat, vix dici potest esse. Nihil saltem perfectissimum esse,
aut dici potest, quod sit sine conscientia sui. Omnis ergo perfecti-
onis fundatum est, esse sui conscientium. Cum conscientia sui,
esse, est cogitantem esse. Cogitantem esse, est intelligere & vel-
le. Perfectissimum est, & se ipsum ut perfectissimum, & omnia,
praeter se a se & per se perfectissimo modo cognoscere, sive omni-
scium esse. Perfectissime velle, est in se ipso ut perfectissimo per-
fectissime acquiescere: lætari ac beatum esse, omniaque volendo,
facere posse, atq; omnipotentem esse, &c. Quod ergo perfe-
ctissimum est, perfectionem omnem in se, a se & per se necessario,
atq; immutabiliter sine ullo defectu possideat oportet, ut nulla
veri nominis perfectio de eo negari possit. Hoc ipso enim
imperfectum esset. Unde quando decretum humanum nititur
ratione, a qua voluntas ad decernendum impellitur, tan-
quam causa impulsiva realiter tali, Dei voluntas in decer-
nendo nititur ratione, sive interna sive externa illa dicatur,
tanquam causa impulsiva virtualiter tali, sive ratione a priori,
qua nostro tantum cogitandi modo instar causæ impulsivæ se ha-
bet. Quando in humanis decretum deliberatum dicimus, illud
intelligimus, quod consultatio proprie sic dicta antecedit. Dei de-
cretum autem deliberatum appellamus, quia nulla quidem prævia
proprie dicta consultatione, sed quam maxima tamen ~~expedita~~
id factum est, quemadmodum decretum humanum, quod sapi-
entissime formatum est, & rationibus adeo bene subductis niti-
tur, accurata consultatione prævia factum esse solet.

§. VII. [3] Quicunque voluntatis suæ in re aliqua ex pluri-
bus eligenda hanc aliam, praeter voluntatem suam, esse causam
impulsivam dicit, ille se non sapientem esse hoc ipso indicat.

Deus, cum ex Calvinianorum sententia aliquos absolute eli-
gere se in Scriptura affirmat, ita agit.

B 2

E. De.

E. Deus, cum ex Calvinianorum sententia ab'olute eligere se
quosdam docet, sapientem non esse afferit.

Major evidens est, quia voluntas non potest esse causa im-
pulsiva sui ipsius.

Minor est Röellii qui absolutum decretum expofiturus scribit
„Comment. p. 1011. Ut cognoscatur propositum & Consilium
„Dei liberrimum esse, ut illud consilium voluntatis ipsius, cuius
scilicet non alia causa sit, quam voluntas ejus. Nihil enim volun-
„tate Dei prius cogitari potest, à quo voluntas ejus moveatur & de-
terminetur. Pro Summa & ουπερογίαν potestate sua facit, quæ
„& uni vult. Etsi enim nihil velle possit, quod non sit conveniens
„perfectionibus & virtutibus ipsius. Neque enim se ipsum abne-
gare, aut quicquam decernere, dicere vel facere potest, unde cum
ratione concludi queat, ipsum non esse talēm, qualis est. Vo-
luntas tamen ejus non determinatur per consilium & rationem
præviam, qua ex iis, quæ illi ocurrunt, id, quod maxime placet,
eligat. Quicquid enim prater ipsum est, ex ipso & per ipsum est.
Per voluntatem ipsius omnia sunt, & condita sunt. Voluntas er-
go Dei est, si ita loqui liceat, origo & norma consilii, non consi-
lium voluntatis. Quanquam ea in Deo vix distingvi possint. Vo-
luntas enim perfectissima & sapientissima ipsissimum ejus consili-
um est. Hic per propositum & consilium Dei intelligit Röellius
Electionis decretum, atque dum illud liberrimum dicit, absolutum
esse significat à causa impulsiva externa. Quod probaturus, Pau-
lum afferit propterea id appellare consilium voluntatis Dei, quod
ejus nulla alia sit causa, quam voluntas Dei, adeoque nec causa ul-
la impulsiva externa ejus detur. Sic ergo Deus per Paulum vo-
luntas suæ, qua quosdam elegit ad salutem, non aliam monet esse
causam impulsivam, prater voluntatem suam. Confundit vero
Röellius Propositum & Consilium Dei, & cum his Electionis decre-
tum. Quod clarius ipse aperit I.c. p. 771. Tribuit, inquit, (Paulus)
Deo thelema & eudeckianum thelematos, hancque dicit esse causam
Electiois & Prædestinationis. Tum p. 173. Hoc loco per thelema
volun-

voluntatem Dei, qua pro endokia sua, quos voluit elegit &
 prædestinavit ad adoptionem, nihil aliud intelligi potest, quam
 liberrimum illud, & sapientissimum simul atque immutabile vo-
 luntatis divinæ decretum, quod Apostolus vocat bulen tu the-
 lematos autu , Consilium voluntatis ejus ; & prophesia
 ton aionion propositum seculorum , quod fecerit in
 Christo IESU Domino nostro: Secundum quod omnia in primis
 in negotio Redemtionis per cuncta secula operatur. Illo enim
 proposito Dei, ut heic thelematos voluntate prooristhentes
 prædestinatos & prædefinitos dicentes eos, qui sorte quasi hæ-
 reditas Christi facti & ad hæreditatem bonorum ejus admissi
 erant. Secundum illud enim prædestinati vocantur. Vocat id
 alibi, (2 Tim. 1, 9.) idian Theu prophesia proprium h. c. liberrimū
 & spontaneum Dei propositum,, Quilibet autem, qui, ratio-
 nis sanæ judicio usus, Paulini textus seriem inspicit, statim in-
 telligit, distincta objecta per distinctas voces Paulum declarare.
 Nam quomodo prædestinationis decretum potest esse prophesia,
 cum secundum prophesiam factum illud Paulus afferat ? Nemo
 ita statuet, nisi prædestinationem , juxta prædestinationem , &
 prophesiam juxta prophesiam factam esse absurde dicat. Ipsa sane
 loquendi ratio satis evincit, prædestinationem differre à proposi-
 to, ut normatum à norma sua. Propositum enim divinum con-
 cipitur ut actus divinæ voluntatis , qui illum alterum , qui præ-
 destinatio dicitur, præcesserit, atque ad quem instar normæ hic
 normatus fuerit. Hoc quippe Deus libere formavit ab æterno
 propositum : Quicunque fide finali in prævisione mea Christi
 meritum amplectuntur , illos , motus à prævisa illorum fide in
 Christum finali, salutem decerno. Ad quem actum voluntatis
 suæ Deus in subsecuto Electionis actu sic respexit , ut hic isti ex
 ase, velut normæ normatum , respondeat hoc modo : Petrus,
 Paulus , & ceteri nominatim sunt illi, quibus, à prævisa illorum
 fide finali motus , salutem decerno. Röelium vero non est
 cur miremur, Propositum illud Dei, quod Paulus à Prædestina-
 tione

tione distingvit, cum illa confundere, cum salva hac hypothesi, quod decretum Electionis à causa impulsiva externa absolutum sit, & absolute adeo Dei voluntas omnium rerum & actionum fons & norma existat, non possit non tam absurdum Paulino eloquio sensum inferre. Dicit quidem pag. 1008. pro oratione „fluere ex certo proposito. Et p. 1009. prophetin propositum „illud Dei Apostolum heic considerari velle ut causam pro oratione. Sed mera verba dat, cum sibi ipse hoc pacto contradicat; neque dum absolute Electionis decreto inhæret, distincte ostendere possit, in quo illud propositum ita consistat, ut per hoc à pro oratione sive Prædestinatione differat. Hinc jam patet, quod neque per bulen tu thelematos Dei Paulus Prædestinationis decretum significet, cum haud minas kata bulen tu thelematos autu, ac kata prophetin autu, Prædestinationem factam esse comonstret. His igitur vocibus generatim exponit Apostolus propositi illius divini naturam, quod quemadmodum homo aliquid peracturus secum de modo, quo id quam optime perficere queat, consultat, & tum, cum rationes se ipsi ostendunt, propter quas videt certum quendam modum omnium quam optimè ipsius fini atque sequendo inservire, illum vult, sive decernit adhibere. sic more humano de Deo loquendo, in omnibus actionibus suis Deus agere, & speciatim adeo in isto de salute hominum fixo sibi proposito egisse judicandus sit. Itaq; simul per bulen tu thelematos Dei & intelligi Electionis decretum & notari decreti hujus sive voluntatis, qua elegit Deus quosdam ad salutem, nullam aliam esse causam, præter Dei voluntatem, falsum est. Licet enim nihil prius voluntate Dei cogitari possit, à qua illa ut causatum à causa sua realiter dependeat, atque adeo actu realiter in Deo producto moveatur & determinetur; hoc tamen non impedit, quō minus ratio detur à priori, quæ per modum causæ, nostro intelligendi modo se habeat, à qua Deus virtualiter moveatur & determinetur. Neque per hoc quicquam summæ & anupeuthyno Dei potestati dece dit,

dit, cum illa sic exposita causalitas nullam dependentiam à potestate superiori in Deo inferat. Sic ergo inde eligere Deus potest ex pluribus, quæ ipsi occurunt, id, quod maxime placet, utamen ejus voluntas proprie & realiter per consilium & deliberationem non determinetur. Quin si Deus nihil velle potest, nisi quod sit conveniens perfectionibus & virtutibus ipsius, quid hoc aliud est, quam quod nihil velle possit, nisi ad id volendum perfectiones & virtutes ipsius eum impellant? Atque adeo si Deus decernit aliquid, nulla ad id ratione, quæ nostro intelligenti modo ab ipsa voluntate differat, impulsus, se ipsum, juxta Roelium, abnegat, & cum ratione de eo concludi potest, ipsum non tam esse, qualis est. Quod si Deo ratio ad decernendum impellens externa adscribi nequeat, propterea quia per eam, quantum ut impellens consideratur, actus in Deo realiter produci statuitur; etiam ratio impellens interna de Deo concipi non potest, quia sic & per illam actus in Deo realiter produci censendus erit. Neque Roelius adeo, dum εἰδοξίαν causam sive rationem impulsivam decreti Electionis internam esse affirmat, actum in Deo per hanc realiter produci asserere se negare poterit. Tum causam impulsivam externam Deo non denegat, quando misericordiam hominum causam prokatarktiken missi Redemptoris, & justificationis ac salvationis causam meritoriam, atq; adeo etiam impulsivam externam, Christi meritum esse dicit. Accedit quod sine ratione Deum agere, & velle agere negat. Rationes ergo sine quibus neq; agit, neque agere vult Deus, quid sunt nisi rationes impulsivæ, quæ in Deo actum realiter, juxta Roelium, producere aestimandæ sunt? Origo itaq; & norma consilii non est voluntas, sed intellectus Dei, qui consultat, & consilium, quod certa ratione niti judicat, voluntati offert, quæ tum illud, impensa à ratione ista, exequi decernit. Si vero ea, quomodo in ipso Deo in se sint, citra nostrum imperfectum intelligendi modum considerantur, non vix ea distingui possunt, ut vult Roelius, nisi Deum Ens vix imperfectum possis dicere; sed sunt simpli-

citer

citer idem. Nihil enim si de Deo ita cogitare & loqui volumus, prout ille in se est, in Deo distinctum est. Intellectus & voluntatis actus, sunt ipse intellectus & voluntas; intellectus est voluntas, voluntas est intellectus, voluntas & intellectus cum ceteris Dei attributis ipsissima Dei essentia sunt. Verum id hic neutiquam in quaestione est, sed quæritur, qua ratione nos ea, quae in Deo realiter idem sunt, nostro cogitandi modo distinguere debeamus? Hic ipse Deus nobiscum ita loquitur, ut tales intellectui nostro formet notiones; quibus ea, quae simplicissime unum sunt, ut distinctissima exhibet. Neque aliter imperfectissima nostra cogitandi ratio, Ens infinite perfectum sibi sistere potest, nisi eo imperfecto, quo ipso finitam nostram mentem modo concipere assuevimus. Unde nec Paulus nostro intelligendi modulo se accommodatus, sapientiam & consilium Dei formaliter voluntatis, sed intellectus esse dicit.

§. VIII. [4] Quicunque in rebus seriis inepta ταυτολογία utitur, ille non est sapiens.

Deus, per absolutum decretum, in rebus Seriis inepta ταυτολογία utitur.

E. Deus, per absolutum decretum, non est sapiens,
Major patet per se. Minorem Röellii doctrinam de abso-
luto

Dei decreto confirmat, quam ita proponit, Comment. p. 276. Pater nos elegit in Christo &c. Hinc conjunguntur à Pe-
tro 1. Ep. 1, 2, Prægnitio, sive prædestinatio Dei Patris, sanctifi-
catio Spiritus & obedientia atque aspersio sanguinis Iesu Christi,
Si ergo præcognitio & prædestinatio idem hic, Röellio interpre-
te, sunt, Petrus Θεοπρεπος hunc in modum in epitre censem-
dus est: Petrus Apostolus electis, sive Prædestinatis ad salutem,
juxta Prædestinationem ad salutem. Quidjam de Pauli fiet sermoni
Rom. 8, 29, Quos præscivit, hos etiam prædestinavit? An Pe-
tro contradicere illum putabimus? Sin minus, cum Petro sic in-
ceptet: quos prædestinavit, hos etiam prædestinavit. Ecquis in-
ter

ter homines tam aperte ineptientem ferret? Deum tamen tam absurdō loquendi genere uti, persuadere hominibus annititur Roellius. Quod si Praescientia idem est ac Prædestinatio, cur supra decretum Dei absolutum divinæ præscientiæ voluit esse causam? Num idem sui ipsius causa esse potest? Eo ergo absurditatis absoluti decreti cultores adigit corrupta ratio!

§. IX. (5.) Quicunque in rebus seriis inepce argumentatur; ille non est sapiens.

Deus, ex doctrina de absoluto decreto, ita agit,

E. Deus ex illa doctrina sapiens non est.

Major per se clara est.

Minor probatur præter cetera vel ex Paulo 1. Tim. 2, 6: quem ibi, ex ipsis verbis ejus, recta ratio intelligit sic argumentari:

Quoscumque Deus vult salvari, pro illis est orandum. Omnes & singulos homines, sive omnia individua hominum, Deus vult salvari.

E. pro omnibus & singulis, sive omnibus hominum individuis, est orandum.

Sed ut decretum electionis absolutum salvum sit, huic Syllogismo Roellius ex omnium Logicorum Scholis exhibandum Paralogismum substituit istum:

Quos Deus vult salvari, pro iis orandum.
Solos Electos Deus vult salvari.

E. pro omnibus & singulis hominibus, sive omnibus hominum individuis, est orandum. Hinc Gomment. pag. 408. scribit: Eo fine 1. Timoth. 2, 6 Christus se ipsum dedit lytron & ancilyletron, ut pro Electis in ipso ante iacta mundi fundamenta justitiae divinæ satisfaceret. Et p. 865. Sponsionem suam executus fuit Christus, quando se ipsum dedit lytron & ancilyletron pro multis, imo omnibus electis ex Judæis & Gentibus, Matth. 20, 28. 1. Tim. 2, 6. Tam aperte contra rationem, ratiocinari compellet absolutum Electionis decretum Architectos

C

suos

suos, ut dum extremæ ejus impietati in pervertenda clarissima Scripturæ Sacrae Litera Asylum querere conantur, infinitam Dei sapientiam, à quo mens humana recte ratiocinandi accepit principia, ludibrio exponere non vera ntur.

Conclamatum ergo de infinita Dei sanctitate est, si infinitæ Scientiæ & Sapientiæ defectu laborare Deus ita arguitur.

§. X. III. Quicunque decreto suo & actuali operatione ad peccandum physice & irresistibiliter determinat, ille non est sanctus.

Deus, stante absoluto Electionis decreto, ad peccandum decreto suo & actuali operatione physice & irresistibiliter determinat.

E. Deus, stante absoluto Electionis decreto, non est sanctus.

§. XI. Major est evidentissima.

Minor Probatur.

(1) Cum absoluto Electionis decreto indundo nexu coheret absolutum Reprobationis decretum. Unde quemadmodum Deus eos, quos eligit, decreto suo & actuali operatione ad fidem physice & irresistibiliter determinat, ut ad salutem ad quam eos absolute eligit, perveniant, sic eos, quos reprobatur, decreto suo & actuali operatione ad peccandum physice & irresistibiliter determinat, ut ad damnationem, ad quam eos absolute destinavit, pertingant.

§. XII. (2.) Decretum Electionis exinde à Röellio absolutum esse statuitur, quia omne Dei decretum, ut sic spectatum, à causa impulsiva externa absolutum est. Omne autem decretum Dei absolutum est determinativum. Ergo decretum Reprobationis determinativum est, adeoque & decreto, quo homines quosdam reprobatur Deus, & actuali operatione, qua decretum determinativum exequitur, eos, quos reprobatur, ad peccandum physice & irresistibiliter determinat.

§. XIII.

§. XIII. Ipse Röellius determinationem illam clarissime
ita tradit Comment. pag. 736. Proorizatio est rem aliquam præ-
determinare, & antequam existat vel fiat, apud se quasi defi-
nitio & certis limitibus circumscrivere, atq[ue] adeo certum ali-
quem finem certaque ad illum media constituere, & sibi præ-
stituere, prædefinire, ac prædecernere. Ut quando Deo tribui-
tur, nihil aliud significare possit, quam istiusmodi certum im-
mutabile decretum, quo certum modum ac fines definiverit,
quos ultra citraq[ue] nihil fieri possit, & cui omnia, tam media,
quam finis, tam locus, tempusordo, numerus & reliqua pe-
ristantia, quam res & personæ accurate in eventu convenire,
& conformari debeant. Hunc proorismon appellat p. 1007.,
Prædefinitionem, addita hac explicatione. Ostendit Aposto-
lus primam causam & originem tanti beneficij esse, PRÆDE-
FINITIONEM ipsorum secundum propositum ejus, qui omnia,
in omnibus operatur ex consilio voluntatis suæ. Quæ sic decla-
rat: Quid sit proorizatio, dictum est ad v. 4. Scilicet animi pro-
posito & decreto rem aut actionem, earumq[ue] modum, formam,,
conditiones, ac fines accurate apud se determinare, & in ideo,,
quasi, deformare ac delineare. Est ergo proorismos norma,,
rei & actionis. Esse autem proorismon istum conjunctum cum
efficaci operatione ejus, qui omnia operatur secundum consi-
lium voluntatis suæ, haud difficitur. Idem sentit p. 1012. Pro-
positum; inquit, & Consilium Dei efficax esse & non carere,,
eventu; eo ipso clarissime docet [Apostolus,] quod affirmat,,
ipsum omnia, quæ decernit, energie efficaciter operari & ef-
ficere secundum consilium voluntatis suæ. Si ergo omnes res
& actiones decreto suo & actuali operatione determinat Deus,
etiam ad actiones moraliter malas sive peccata peccantes decre-
to suo & actuali operatione determinat.

§. XIV. Quamvis vero hunc objectum sibi scopulum sic,,
effugere conetur Röellius l. c. pag. 1012. Quando Deus O-,,
MNIA OPERARI dicitur ex consilio voluntatis suæ, manife,,

,stum est, ca omnia intelligi, quæ operari consilio suo statuit,
 ,quæque re ipsa operatur. Neque enim, ut volunt impii &
 ,profani homines, qui id agunt, ut boni omnis ac mali moralis,
 ,ut vocatur, discrimin tollant, Deus ex consilio voluntatis suæ
 ,peccata energie efficaciter operatur. Hinc prudentissimi In-
 ,terpretes, non sine ratione tanta panta omnia, non omnia absolu-
 ,te intelligenda esse judicant, sed omnia ea, de quibus hoc loco
 ,agitur, Statim tamen ad pristinam mentem redit pag. 1013.
 ,Etsi negari nequeat, extendi quoque hanc Apostoli enunciatio-
 ,nem ad ea omnia, quæ Deus in toto, qua patet, Universo ex con-
 ,silio voluntatis suæ operatur. Sensus igitur hic erit; non po-
 ,tuisset fieri, ut non in sortem adsciscerentur, quandoquidem
 ,prædestinati ad id sint ejus decreto & proposito, qui, uti omnia
 ,alia, quæ facere decreverit, ex voluntatis suæ consilio efficaci-
 ,ter efficiat & perficiat, ita in ipsis quoque omnibusq; sanctis &
 ,credentibus, ex decreti & consilii sui sententia fidem, spem,
 ,charitatem, & quicquid in iis sit boni, efficaciter operetur.
 ,Nihil ergo Deus egit, aut agit, vel in natura, vel in gratia ne-
 ,cessario aut temere, sed omnia ex libero definito voluntatis suæ
 ,consilio. Quod vult potest, sed non quicquid potest, vult:
 ,quod vero vult & potest, id quoque efficaciter ex consilio vo-
 luntatis suæ efficit & operatur., Evidem ne & hic in Syrtes in-
 ciat, sic cavere sibi ibidem studet: „ Deniq; & si peccata in ho-
 ,minibus operetur, neque velle potuerit operari Deus, omnes
 ,tamen res omnemque rerum ordinem, ita providentia sua mo-
 ,deratur & gubernat, ut nihil fiat, quod non vel permittere,
 ,vel efficere decreverit, quodque non sit, vel instrumentum, vel
 ,occasio demonstrandæ atq; illustrandæ perfectionum ac vittu-
 ,tum divinarum gloriæ. Enimvero quam absurdâ sit illa in Cal-
 vini Schola recepta & inde à Röellio ascita inter decretum Dei
 effectivum & permisivum distinctio, cum decretum Dei ut sic
 spectatum, ipsis determinativum audiat: non tantum Remon-
 strantes dudum in Synod. P. H. p 376, demonstrasse, sed ex Röellii

13

in absoluto decreto propugnando Sociis, Strimesium
in Strict. & Not. in Controv. cum Armin. Spanhemianas fateri,
Salomonii Tillio jam ostendi in Exercit. adversus eum p. 77. sequ.
Tamen si ex dictis perspicuum est, neq; Strimesium, neq; ceteros,
qui cum eo in Calvini Schola Universalismum profiteri se præfe-
runt, dum absolutum à fide electionis decretum ex Synodi Dor-
dracenæ jussu defendere non prætermittunt, posse, quin & de-
creto & actuali operatione homines ad peccatum à Deo determi-
nari statuant. Unde quanto magis Roellius ex his fluctibus e-
luctari allaborat, tanto profundius iisdem immersi illum cerni-
mus, ut tandem manifestis verbis Dei ad malas actiones præde-
terminationem asserat. Etsi enim, pergit l. c nos omniem præ-
ordinationis, præscientie ac gubernationis divinæ, in primis cir-
ca actiones hominum malas, modum plene ac plane compre-
hendere aut explicare nequeamus, docet tamen tam ratio quam,,
Scriptura, Deum omnem rerum ordinem constituisse, omnes,,
futuros eventus præscivisse, & cum alia omnia, tum hominum,,
actiones tam malas quam bonas ita regere ac gubernar, eut nihil,,
accidere, atq; evenire possit, improvifum illi a q; inexpectatum,,
neq; tamen peccati causa sit. Et præscientiæ illius atq; adeo &,
præordinationis divinæ, argumentum omni exceptione majus,,
sunt rerum futuratum, & tam malorum, quam bonarum ho-,,
minum actionum prædictiones in Scriptura Sacra. Etenim quid
est illa præordinatio divina, cuius objectum constituit actiones ma-
las, nisi ipsa prædeterminatio, per quam Deus agentia libera de-
creto suo & hinc actuali operatione physice & irresistibiliter de-
terminat. Quod si præscientiæ divinæ obiectum ita sunt actiones ma-
lae, ut antequam eas præsevit Deus, decreto suo libere a-
gentia ad easdem præordinaverit & determinaverit, atq; inde
istas præsciat, quia agentia ad illas decreto hoc antece-
daneo determinavit, ecquid evidenter est, quam decreto suo
determinativo & actuali operatione ad malas actiones Deum de-
terminare homines affirmari? Itaq; mirum non est, si Roellius
modum,

modum, quo Deus actiones malas ita præordinet, ut tamen ille causa peccati non sit, plane comprehendere ac explicare nequeat, cum is modus plane non detur, nec dari possit. Facile autem absurditatem illius modi, qui divinæ sanctitati prorsus repugnat, comprehendenderet & explicaret, nisi istam, quæ ex antecedente infectur, blasphemam in Deum conclusionem: Deus est causa peccati, ita negaret, ut antecedens nihilominus affirmandum susciperet. Docet quidem tam ratio recta, quam revelatio, Deum rerum omnium à se conditarum ordinem constituisse, omnes futuros eventus præscivisse, & cum alia omnia, tum hominum actiones, tam malas, quam bonas, ita regere ac gubernare, ut nihil accidere atq[ue] evenire possit illi improvisum atq[ue] inexpectatum, neq[ue] tamen Ipse peccati Causa sit. At neutra docet, Deum rerum omnium ordinem ita constituisse, ut omnes res decreto suo & actuali operatione ad agendum physice & irresistibiliter determinet, Neutra docet, Deum omnes futuros eventus præscivisse exinde, quia decreto suo antecedaneo omnes futuros eventus prædeterminavit. Neutra docet, Deum cum alia omnia tum hominum actiones tam malas, quam bonas, ita regere ac gubernare, ut nihil accidere atq[ue] evenire possit improvisum illi, atq[ue] in expectatum propterea, quia cum alia omnia ad agendum, tum homines ad actiones tam malas, quam bonas decreto determinativo & actuali operatione physice & irresistibiliter determinet. Si quis vero ita doceat, eum & ratio sana & Scriptura docet, Deum peccati causam facere. Sed &, si juxta Röellum, malarum actionum prædictiones in Scriptura Sacra argumentum sunt præscientiz simul & præordinationis, qua malas actiones præordinarit Deus, Solari luce clarius in ipsis terminis affirmat Röellius id, in quo probando verlamur, Deum per absolutum decretum causam peccati constitui adeoque non esse Sanctum.

§. XV. IV. Cui judici manifeste impius in judicio itsa placet,
ut ipsi nondum expiata ejus impietate, primum decernat, ille non
est sanctus.

Deo, per absolutum decretum, peccator ita placet &c.

E. Deus, per absolutum decretum, non est sanctus.

Major aperte veritatis est, cum is, qui sanctus est, per naturam Sanctitatis non possit delectari nisi Sancto, Sanctitate vel propria, vel aliena.

Minor probatur, quia vi absoluti decreti peccator ante applicatam ipse per fidem Christi sanctitatem, ita Deo placet, ut ei etiam summum bonum salutem aeternam decernat.

¶. XVI. V. Qui fallit homines, ille non est sanctus.

Deus secundum absolutum decretum, fallit homines.

E. Deus secundum absolutum decretum, non est sanctus.

¶. XVII. De Majoris veritate nemo dubitat.

Minor probatur:

(r.) Si verum est, quod fides in Christum non sit causa impulsiva Electionis, falsum est, quod illi, qui aetate salvantur, per fidem in Christum salventur. Sin verum est, quod ii, qui aetate salvantur, per fidem in Christum salventur, falsum est, quod fides in Christum non sit decreti causa impulsiva. Consequentia ratio manifesta est ex exactissima decreti divini & executionis ejus convenientia. Jam vero cum utrumque, juxta Röellium, Deus in Scriptura affirmet, ac tamen alterutrum necessario falsum sit, Deus utrumque afferendo fallit homines. Sic autem, ne genuini in Calvini Schola Doctoris habitum exuat, dum statuit Röellius, veritatis vi constrictus a se ipse deficit, quando scribit l.c. pag 623. Deum iis, quos elegerat & praedestinaverat, eabona & dona EO MODO loco, ac tempore, largiri, in Electione & Praedestinatione definiverat: „Ut recte & tuto possimus judicare de Dei proposito & consilio ex iis quae in tempore facit, p. 744. EO MODO Deus nos elegit in Christo, quo modo in tempore nos sanctificat, adoptat, omniisque benedictione spirituali cumulat, in ipso & per ipsum. Jb. Elec-
tio in Christo est NORMA sanctificationis & adoptionis in Christo & per Christum, ib. Neque Christus tantum sanctifi-
cationis & adoptionis, sed & omnium bonorum ac donorum sa-
luta-

lutarium causa meritoria est, p. 747. In possessionem vero bonorum
 illorum, quæ nobis meritus est, venimus PER FIDEM in ipsum.
 PER FIDEM enim accipimus communionem cum ipso omnibus
 que ejus meritum. 745. Ex operibus de consilio & decreto judicare
 possumus. De modo ergo & forma, ut ita loquar, consiliorum
 & decretorum divinorum judicare possumus & debemus ex mo-
 do & forma operum ejus. Quod vero ita in Christo sancti-
 mur & adoptemur in filios, ut Christi tanquam Spoffo is & Me-
 diatoris mors & satisfactio sit causa sanctificationis & adoptio-
 nis, omniumque omnino bonorum salutarium, quæ in nos De-
 us Pater confert, eaq; non nisi in communione cum Christo PER
 FIDEM accipiamus, ex iis, quæ ad v. 2. 3. ex Scriptura docui-
 mus, liquido patet, pag. 749. Cum itaq; hoc modo [PER FI-
 DEM] nos in Christo & per Christum sanctificet adoptet & ple-
 ne perfecteq; salvet ac beet: Concludendum utiq; eo quoq;
 modo nos in ipso ante fundationem mundi electos, & ad ado-
 ptionem prædestinatos fuisse. Ex eventu ergo de proposito Dei
 atq; adeo de electione in Christo judicandum est p. 1011. Ex
 eventu judicandum de consilio, ex decreti executione de decer-
 nentium voluntate. Nam si, juxta Röellium, Christi satisfa-
 ctio, fide recepta ab electis, causa est actualis salvationis, ita, ut
 hæc ratio salvandi electos sit normatum, cuius norma est electio
 sive decretum salvandi, certe etiam electionis sive decreti salvandi
 causa est Christi satisfactio fide in prævisione Dei recepta ab electis.
 Si ex eventu sive actuali salvatione, de proposito ac consilio
 Dei, atque adeo de Electione; si ex decreti executione de decer-
 nentis voluntate judicandum est, quia eventus, Röellio fatente;
 hic est electorum, quo Deus ita exequitur decretum salvandi elec-
 tos, ut causa propter quam eos actu salvat, sit Christi satisfactio
 fide finali ab ipsis apprehensa, etiam propositum, consilium et
 voluntas decernentis salutum ita se habuit, ut causa, propter quam
 Deus propositum, consilium & voluntatem salvandi electos cepe-
 rit, Christi fuerit satisfactio fide finali ab Electis apprehensa. Quod si

Si Electionis, seu decreti salvandi, causa impulsiva non est Christi
factas factio fide finali ab Electis recepta. norma cum normato suo,
prepositum & consilium cum eventu, decernentis voluntas cum
executione decreti non conveniet.

S. XVIII. (2) Qui Christi mortem causam meritoriam electionis
negat, tamen eandem esse causam meritoriam salutis affirmat, ille
fallit homines: Si enim Christi mors non est causa meritoria decreti,
neq̄ est causa meritoria executionis decreti, vel, si est causa merito-
ria executionis decreti, est etiam causa meritoria ipsius decreti.

Atqui Christi mortem esse causam meritoriam decreti salvan-
di, juxta Röellum, in Scriptura negat Deus, & tamen eandem esse
causam meritoriam salutis affirmat.

E. Deus, juxta Roellum, fallit homines,
Minor probatur.

Quicunque negat Christi mortem esse causam impulsivam elec-
tionis, is hoc ipso negat Christi mortem esse causam meritoriam
electionis. Jam tradente Röellio, negatur in Scriptura, Christi
mortem esse causam impulsivam electionis. E. Negatur quod
Christi mors sit causa meritoria electionis.

Major probatur, quia meritoria causa sub impulsiva contine-
tur, ut species sub genere, de quo ergo negatur genus, de eo
quoque negatur species.

Minor aperta est, quia nullam neq̄ decreti Electionis, neq̄
ullius decreti divini causam impulsivam externim esse velesse posse
contendit Röellius. Unde manifestum est, in Röelliano absoluto
Electionis decreto ipsum Socinismum involvi, qui Christi mor-
tem esse causam meritoriam salutis negat.

S. XIX. Quamvis, si ceteras Theologiae Röellianæ partes
expendamus, neq̄ in istis desiat, quæ præter ab solutum Electionis
decretum, Socinismo ita faveant, ut arduum illud fidei Christianæ
Caput, quod Christum esse causam meritoriam salutis affirmat, ex
credendorum numero expungi jubeant. Iplum Christum Universa
Calvini Schola, in qua Röellius Theologiam publice docuit, sic

D

descri-

describit, ut infinitam Dei Potentiam humanæ ejus naturæ communicatam neget; qua vero humanæ Christi naturæ ademta, sufficiens humanæ Christi naturæ morte sua salutem merendi vis detrahitur. Quin dum attributa divina humanæ Christi Naturæ negantur comunicata, ab attributis autem divinis natura, sive essentia divina, atque ab utrisque Personalitas divina realiter non differt. Personalitate divina Homo Christus destinatur, adeoque in Röellii Schola Deus non est. Ex quounque vero fundamento Christum negat quis esse Deum, ad rem ipsam quod attinet, perinde est, cum per negativam hanc ex illorum, qui Christi Deitatem negant, classe excludi is nequeat, & Christum adeo hominem mortem sustinendo, in merenda hominibus salute, vel frustra, vel plane non laborasse, indicet. Sed & illa Röellii hypothesis, quæ Christum infinitam potestatem sibi meruisse afferit, Christum Deum esse negat. Ipsum enim Christum vult. l. c. pag. 746. „pro ea, quam per opus Redemtionis sibi acquisivit potestate, Spiritum sanctificationis & adoptionis nobis donare. Quæ potestas non nisi infinita est. Et p. 511. Ut propter opus Redemtionis & in „Præmium obedientiæ & peractæ Redemtionis ut Deus Salvator, ex „consilio S. S. Trinitatis obtineret regnum in Ecclesiam suam, & „gloria ac honore divino coronaretur, omniaque pedibus ejus subiicerentur, necesse fuisse, ut se ipsum exinaniret & humiliaret, obediensque fieret usque ad mortem Crucis. Si vero Christus promerendo sibi acquisivit potestatem infinitam, certe communicatam sibi eam à primo unionis personalis momento non habuit, neque morte sua hominibus salutem promereri potuit. Eo ipso enim tempore, quo mortem subiit, nondum instructus infinita potestate atque hinc potentia fuit, sed tum, hoc ipso dum mortem passus est, finita sua potentia in acquirenda sibi infinita potentia & potestate occupatus fuit. Finitæ autem vires ad salutem vel uni promerendam insufficientes sunt. Præterea nec fieri ullatenus potest, ut id, quod infinitum est, sibi quis mereatur. Nam vires ejus, qui aliquid promereri vult, rei promerendæ debent esse proportionatae. Si ergo promereri sibi quis posset id, quod infinitum est, infinitis

eum

eum viribus præditum esse necesse foret. At qui infinitis jam gaudet viribus, id quod infinitum est, aëtu jam obtinet. Hinc quod aëtu jam haber, quomodo acquirere illud sibi demum posset? Sed & solus Deus est Ens essentiæ & attributorum ratione infinitum; Divinam autem essentiam & attributa promereri sibi nulla creatura valet. Christus quidem secundum humanam naturam essentiam & attributa divina accepit; Verum ex gratia Unionis personalis, non ex merito. Potestatem inde divinam non deum peracto Redemtionis opere, sed in primo Unionis personalis momento sibi communicatam obtinuit, licet ad perficiendum illud à plenario communicatæ sibi infinitæ Majestatis usū abstineret. Firmum itaq; manet hoc, si Christus sibi aliquid promeruit, quodcunque id tandem fuerit, quod mors ejus, sive satisfactio morte ejus præstata, causa meritoria salutis non sit. Unde si quam maxime Röellius Electionis decreti causam impulsivam esse Christi meritum fide finali apprehensum in terminis affereret, inaniter tamen ita statueret, salvis his ejus hypothesibus, quibus infinita Humanæ Christi Naturæ communicata merendi vis & ipsa adeo Deitas Christi destruitur.

§. XX. Neq; melius de illorum in Calvinii Schola doctrina judicari potest, qui in hoc quidem Röellio assentiuntur, quod fides in Christi meritum nequeat esse causa impulsiva Electionis, nihilo minus meritum Christi à fide sejunctum pro causa impulsiva Electionis agnosci volunt. Nam quemadmodum hi per denegatam Humanæ Christi Naturæ infinitam Majestatem, non nisi finitam morti ejus merendi vim tribuunt, atq; ita, etiamsi fidem cum Christi merito conjunctam completam Electionis causam impulsivam dicent, impulsivam tamen, ac meritoriam adeo, Electionis causam re ipsa nullam habent: Sic, licet infinitam Humanæ Christi Naturæ communicatam esse Majestatem & vi adeo infinita meritum ejus pollere diserte profiterentur; tamen, quia fidem ab ejus infinito merito separant, haud minus cum Röellio & Sociis Christi

D 2

mortem

mortem causam impulsivam & meritoriam etiam Electionis esse
 inficiantur. Evidem de ista sua sententia non ita affirmandum
 arbitratur Strimesius, cœn his id edidisse rit verbis, Inquisit. in Contro-
 vers. Evangel. p. 296. Non ut in Christo, i. e. per & propter Chri-
 stum ab Apostolo rectissime dicimus eligi Eph. 1, 4. ut Electione
 , divisa in modo conipiendi nostro Christus prior sit, cuius me-
 ritis futuris & a Deo absolute decretis Deus, modo tamen eum
 , decente movetur ut nos eligat, ita simili ratione fides Electionis
 includenda fuerit, etiam extenus dubitatur, ut in signo rationis,
 sive modo concipiendi nostro ad mentem Apostoli, in dicto loco,
 quocunque tandem modo prior estimetur: quandoquidem Apo-
 stolus expresse addit, nos in Christo ad hunc finem, Electionis
 fructum effectumq; futurum, eoꝝ Electione in signo rationis
 neutquam priorem electos esse, ut simus sancti & inculpati
 coram ipso in charitate; at per fidem sanctificantur, vel purifi-
 cantur corda nostra A&t. 15, 9 perq; hanc solam charitate sic im-
 pregnatam, quatenus Christo innititur, inculpati evadimus coram
 Deo Gal. 5, 6. & Eph. 1, 6 ut adeo ex mente Apostoli Eph. 1, 4.
 fides Electioni includatur, non ut Electione quoquo modo prior,
 sed eadem, in signo rationis posterior tantum. Et Charitol. Sacr.
 P. II. p. 20. Dati vult amorem quendam insigniorem etiam ratione
 rerum Spiritualium, erga quosdam homines præ aliis pluribus
 eumq; a priori absolutum i. e. nullo hominis opere quocunq; i stud
 nomine veniat accessum, vel impetratum, quem PARTICULAR-
 REM gratiam appellare se, ex Electione a priori absoluta, pro-
 manantem significat. Addit: Dico, ex Electione a priori absolu-
 tui, non equidem quod ad ea attinet, quæ extra homines sita
 sunt (quæ inter maximum est meritum Christi, propter quod ho-
 mines etiam electos esse, quotquot electi sunt, nullus dubitaverim
 cum multis Nostrorum asserere, vide Confess. Helveticam cap. 10
 p. m. 14 sed quod ad ea attinet, quæ vi liberi arbitrii humani
 etiam ex gratia restituti, ab ipso homine exeruntur, quale quid
 fides prævisa esse perhibetur. In quo ut a Sociorum doctrinâ hic

se

se disjungeret Strimesius, videtur inductus, quod animadverterit, si Christi meritum causam impulsivam Electionis negaret esse, fieri non posse, quia Christi mortem causam meritoriam salutis esse, cum Socino sibi negandum foret. Nam in dissent Protheoret. quam præmisit Charitol. Sacr. §. II. cautelam hanc adhibendam censet, ne Gratia cuicumque Subjectivæ, i.e. in homine ponendæ, objectivæ, cea istius conciliatricem ac Imperatrericem unicam extra, hominem, in que Christi merito sicam præmittere concipiendo, obliviscaris, neq; ejusdem gratiæ Subjectivæ vel quicquam, vel, aliud, vel alio modo in quenquam hominem competere statuas, quam quod & quo modo, ab objectiva gratia hujuscq; particulis, variis, acquisitum eidem imperatumq; est; secus, Benignitatem, erga lapsum hominem de Deo temere conceptam, Justitiae Divinæ Essentiali palam cum Socino derogatur, necessitate nō, Mediatoris, eoq; Redemptoris & Interpellatoris, absolute si, minus eversurus, certe, diminuturus quam plurimum. Si enim, juxta hæc Strimesiana, per Benignitatem erga lapsum hominem de Deo temere conceptam, Justitiae Divinæ Essentiali palam cum Socino derogatur, & Benignitas adeo illa, quæ est particularis Electionis gratia, erga quosdam ex hominibus lapsis temere de Deo concipitur, quando ista sine merito Christi tanquam causa impulsiva Electionis consideratur; certe cum Socino sic etiam, judice Strimesio, ab ejus in Calvini Schola fratribus, qui hic ab ipso dissident, palam derogatur Christi merito, sive Christus salutis esse causa meritoria negatut. At vero ne Socini partibus se addicat Strimesius, frustra laborat in Electionis causa impulsiva quærenda in Christi merito, quoad in infinita Humanæ Christi Naturæ communicata Majestate & merendi adeo vi infinita, neganda persistit. Tum si Christi meritum, prout in se & à fide sejunctum spectatur, est causa impulsiva Electionis, etiam Christi meritum, quatenus in se, & à fide sejunctum consideratur, salutis causa impulsiva est. Quod ita ex decreti divini cum executione convenientia manifestum est, ut nemo sanæ mentis id negaverit.

Cor-

Consequens autem adversatur Scripturæ, quæ merito Christi non nisi fide apprehenso salutem, sive actualem salvationem, tribuit, Chab. 2, 4. Marc. 16, 16. Joh. 3, 16. 18. Quem adeo modum propter Christi meritum homines ad salutem eligendi ita se dece-re Deus declaravit, ut absolute quidem decreverit, se propter Christi meritum ad Electionem hominum moveri velle, non ta-men propter Christi meritum absolute Spectatum, sed fide finali apprehensum. Christi enim meritum in se Spectatum ita Universale est, ut hoc ipso dum pro omnibus & singulis hominibus præstatum est, omnibus & singulis hominibus in se causa salutis me-ritoria existat. Si ergo Christi meritum in se simpliciter Deum actu movet ad iis, pro quibus est præstatum, actu conferendam salutem, ad omnibus & singulis hominibus salutem actu conferen-dam sic Deum moveat necesse est. Cum vero maximam hominum, quib⁹ salutem Christus meruit, partem reprobatam esse & damnari Scriptura testetur, ad Christi meritum in illis, quibus salus propter Christi meritum confertur, accedat aliquid necesse est, per quod ipsi à ceteris, qui reprobati sunt & damnantur, ita differant, ut i-stis solis Christi, meritum sit causa, à qua Deus ad iisdem salutem conferendam moveatur. Atq^j hoc ipsum unice est fides in Christum, quæ, ex libera Dei ordinatione, cum credentibus meritum Christi ita unit, ut propter illud eum ipsis unitum salus iis confe-ratur. Quo secum uniendi Christi meritum medio cum apostoli desticuantur, hinc non obstante, quod etiam ipsis Christus in se Spectatus sit causa meritoria salutis, illi reprobati sunt & damnan-tur. Nam hoc Christus omnibus & singulis hominibus quidecim acquisivit, ut ipsi actu salventur; attamen non absolute, sed su-conditione fidei implenda in illis, qui salutem à Christo sibi acquisitam conferrī sibi cupiunt. Quod si, ex Scripturæ testi-monio, Christi meritum non nisi fide apprehensum, est causa impulsiva actualis salvationis, absurdum plane est, affirmari à Strimesio Christi meritum citra fidem, quo apprehendatur, esse cau-

causam impulsivam decreti salvandi, sive Electionis. Neq; difficile adeo Strimesio fuisse colligere, Paulum quando Eph, i. 4. In Christo i.e. ipso interprete, per & propter Christum, nos eligi docet, haud diversam sentire posse, nisi universæ Scripturæ & sibi ipsi contradiceret. Haud quicquam huic sensui adversabitur, quod electi ab eo dicimur ut simus sancti. Justificari enim etiam dicimur, ut simus sancti, nec tamen ita ut circa fidem, qua Christi meritum apprehendatur, justificemur. Si vero hoc valebit, nos, quia propter Christum eligimur, ut simus sancti, eligi circa fidem in Christum; etiam sequetur, nos, quia justificamur, ut simus sancti, justificari propter Christi meritum, sed sine fide, quæ illud nobis applicet. Itaque quia Christus, sine fide in illum, electionis causa impulsiva & salutis adeo meritoria ita esse actu ulli nequit, ut propter illius meritum à fide sejunctum eligatur & salvetur, Strimesius, perinde ac ceteri ex Calvini Schola, qui & fidem in Christi meritum & ipsum Christi meritum Electionis causam impulsivam esse inficiantur, cum Socino Christum causam meritoriam salutis esse negat. Quid multa? Damnantem sua, atq; ad sociorum sententiam se recipientem audi Strimesium, quando Charitol. Sacr. Dissert. Protheoret. §. II. inter cautelas, gratiam Dei in communi spectantes refert hanc: Ne fontem,, gratiæ divinæ salutiferæ primamq; ejus originem aliam censeas,, quam misericordiam Dei, eamq; absolutam, seu à nulla extra,, se ipsam, re externa permotam. Secus, per cautelæ hujus neglectum, impliceris necesse est progressui in infinitum. Jam si Deus ad gratiam suam salutiferam simpliciter, adeoque in universum omnem, & sic ad ipsum præ ceteris quosdam salvandi, sive eligendi decretum permotus est nulla extra se ipsum, seu externa, re, non tantum non à fide, sed neq; à Christo ad salutem ulli decernendam, sive illum ad salutem eligendum, permotus est. Quod si timendum erit, ne causa impulsiva Electionis extra Deum ulla impicit progressui in infinitum; non fidem solum, sed & Christi meritum à causa Electionis impulsiva externa arcebit

bit timor iste. Sed cum neutram causam impulsivam progressus in infinitum implicare probandi vis Strimesio suppetat, manet utraque indissolubili nexu juncta sive Christi meritum fide apprehensum, causa impulsiva externa Electionis adæquata.

§. XXI. (3.) Quicunque mentem suam hominibus expositorus, vocibus plane diverso, ac inter eos convenit, significatur, sine ullo adjecto hujus suæ notionis indicio, ille fallit homines.

Deus absoluti electionis decreti doctrinam hominibus expositorus, ita utitur.

E. Deus absoluti Electionis decreti doctrinam hominibus expositorus, fallit homines.

Major extra dubium ponitur.

Minor probatur.

Prognosis sive Præscientia ex instituto significat actum intellectus, quo ille cognoscit res, antequam eæ actu existunt qui actus intellectus diversus est ab eo voluntatis, qui objectum sibi ab intellectu monstratum vel eligit, vel aversatur, & istum adeo insequitur. Verum prognosis per Röellii absolutum electionis decretum, in Dei ad homines sermone de Deo adhibita, non præscientiam sed prædeterminationem notat, ne minimo quidem adjecto alienam istam significacionem urgente argumento, quin contextu oppositam manifeste efflagitante.

§. XXII. [4.] Quicunque voces ex instituto Universalitatem significantes, sine ulla adjecta restrictionis nota, ad Particularitatem significandam adhibet, ille homines fallit.

Deus, in proponendo absoluto Electionis decreto, ita agit.

E. Deus, in proponendo absoluto Electionis decreto, fallit homines.

Minor probatur ex illis locis, in quibus Deus se omnes & singulos homines velle salvari, & Christum omnibus & singulis hominibus morte sua salutem acquisivisse, vocibus ex instituto signi;

significantibus, sine ullo particularitatis indicio exponit, quæ autem particulariter accipienda esse absolutum decretum dictat. Inde ne huic Sacro suo manus injiciat Röellius, de solis electis explicat 1 Tim. 2, 6, 7. de quo Vid. supra. Heb. 2, 9. Comment, p. 345, ut Sponsor & Pontifex pro omnibus electis ex Judæis & gentibus,, gustavit mortem 2. Cor. 5. pag. 455. l. c. Dum in Christo mundum sibi conciliasse, qui tanquam Sacerdos pro peccatis electorum hostiam obtulerit. Sed vox omnis, de hominibus nullo adjecto restrictionis indicio hic usurpata, ex naturali rationis judicio accipi aliter non poterit, nisi de omnibus individuis hominum, ut adeo intelligamus hinc, Deum omnia hominum individua velle salvari, Christum pro omnibus individuis dedisse se antilytron, & mortem gustasse pro omnibus individuis hominum. Mundus etiam proprie cum accipitur, absolute positus, quemadmodum universam mundi compagem, non partem aliquam mundi, significat; sic pro hominibus mundi incolis cum sumitur, & absolute ponitur, omnia hominum individua, non quædam tantum ex his, indicat.

§. XXIII. VI. Quicunqb in **injustus** est, is non est **sanctus**.

Deus docente **absoluto decreto**, est **injustus**,

E. Deus docente **absoluto decreto**, non est **sanctus**.

§. XXIV. Majorem nemo negat.

Minor probatur.

[I.] Quicunqb in **foro humano** homines, nulla in illis existente causa impulsus, gravissimo supplicio destinat, ille est **injustus**.

Deus docente **absoluto decreto**, id facit **E**, est **injustus**.

Major evidentissimæ veritatis est,

Minor probatur.

Si enim Deus ex nulla causa externa impulsus, electos elegit, etiam ex nulla causa externa impulsus reprobos reprobavit. Nam electionis decretum propterea à causa impulsiva externa **absolutum** Röellio dicitur, quia decretum **divinum** ut sic causam

E

impul-

impulsivam externam nullam habet. Tum si electi ac reprobi in communi corruptio[n]is massa spectati, ante decretum de quibusdam inde vel eligendis, vel reprobandis, sunt pares, & in reprobis nihil fuit, quod Dum impulit ad eos reprobando[s].

§. XXV. [2.] Quicunq[ue] aliquem gravissimo suppicio afficit propterea, quod is voluntati ejus conformiter fecit, is iustus est.

Deus stante absoluto decreto, reprobos æterno suppicio afficit, propterea quod fecerunt voluntati ejus conformiter.

E. Deus stante absoluto decreto est iustus.

Minor probatur. Nam de solis electis Deus absolute vult ut illi credant in Christum, quem illis solis destinavit fide amplectendum. Dum ergo reprobi non credunt in Christum, faciunt illi, quod Deus vult ut faciant. Sed qui non credunt in Christum, propterea quod non credunt in Christum, à Deo damnantur. Damnantur ergo reprobi propterea, quod illi fecerunt id, quod Deus absolute voluit ut ipsi facerent.

§. XXVI. [3.] Quicunq[ue] in foro humano hominem, propterea quod is non præstat id, quod ipsi præstitu absolute impossibile est, supplicio afficit, ille est iustus. Ad absolute enim alicui impossibile nemo obligari, neq[ue] adeo ob id non præstitum puniri potest, sine punientis iustitia.

Jam, per absolutum decretum, absolute impossibile est ut reprobi credant in Christum. Nam, quia, per absolutum decretum Deus absolute solis electis & Christum & vires in Christum credendi destinavit, fieri absolute non potest, ut reprobi id quod Deus ipsis absolute negavit, accipient. Et tamen propterea, quod reprobi non credunt in Christum, eos damnat Deus, stante sententia condemnatoria, Marc. 16, 16.

E. Deus per absolutum decretum est iustus.

§. XXVII. [4.] Quicunq[ue] hominem ad mortis supplicium simul & causas ejus determinat, ille est iustus. Quod per se est evidens.

Deus

Deus, sic volente absoluto Decreto, reprobos ad damnationem simul & causa ejus determinat.

Nam vi decreti hujus determinativi Deus determinat reprobos ad finem, qui est damnatio, & causas five media damnationis, quae sunt peccata.

E. Deus sic volente absoluto decreto, est injustus.

§. XXVIII. VII. Quicunq^z est immisericors, ille non est sanctus. Deus, per doctrinam de absoluto decreto, est immisericors.

E. Deus per doctrinam de absoluto decreto, non est sanctus.

§. XXIX. Major patet ex natura sanctitatis, quae, universaliter spectata, sui ut partem essentialiem, includit misericordiam.

Minor probatur:

Quicunque objecti miserabilis non miseretur, ille est immisericors.

Deus per doctrinam de absoluto decreto, objecti miserabilis non miseretur.

E. Deus per doctrinam de absoluto decreto, est immisericors.

De Majoris veritate dubium non est, quia de natura misericordie est, objecti miserabilis misereri.

Minor probatur: electi, spectati in communi cum reprobis corruptionis mala, sunt objectum miserabile, quia Deus illorum astutus fuit. Dum autem paruum par est ratio, etiam reprobri sunt objectum miserabile; nec tamen, per absoluti decreti doctrinam Deus illorum unquam ab aeterno miseretur.

§. XXX. VIII. Qui id credendum docet, quod natura sua aptum est, ut homines ad peccatis secure inherendum inducat, is non est sanctus.

Deus dum doctrinam de absolutodecreto proponit, id credendum docet, quod natura sua aptum est, ut homines ad peccatis secure inherendum inducat.

E. Deus dum doctrinam de absoluto decreto proponit, non est sanctus.

§. XXXI. Major certa est, quia effectus assimilatur sua cause.

Minor probatur.

Quicunque docet [1.] fidem in convertendis irresistibili potentia produci.

[2.] Fidem semel potentia irresistibili productam irresistibili quoque potentia conservari, ut adeo fide semel donatus, etiamsi in gravissima peccata contra conscientiam labatur, fidem ac Dei gratiam nec totaliter, nec finaliter, possit amittere, is id credendum docet, quod natura sua aptum est, ut homines ad peccatis secure inhærendum inducat.

Deus per doctrinam de absoluto decreto docet &c.

E. Deus per doctrinam de absoluto decreto docet id, quod natura sua aptum est, ut homines ad peccatis secure inhærendum inducat.

Major probatur,

Primo

Qui absolute certus est, si ex numero convertendorum sic, in se irresistibili potentia fidem & sanctitatem productumiri, adeoque fieri non posse, ut is vitæ etiam quam maxime impiz nuncium tandem non mittat, quid multum laborandum sibi cogitabit defugiendis peccatis carni syavissimis, ne per illa divinæ gratiæ motus intra se impedit, cum quantacunque etiam ipsius impietas sit, absolute tamen, nullum inde gratiæ convertri poni impedimentum posse, certus sit?

Secundo

Qui ubi fidem semel in se percepit, absolute certus est, fidem irresistibili potentia in se conservari, quid ille cavendum sibi judicabit, ne per peccata contra conscientiam fidem iterum amittat? cum absolute certus sit, etiamsi adulterium, homicidium ac alia gravissima delicta perpetret, se fidem ac Dei gratiam nec totali-

taliter, nec finaliter posse amittere. Stulte sane timet quis id, de quo, quod nunquam futurum sit, nec fieri unquam possit, absolu-
tute certus est.

IX.

§. XXXII. Quicunq� id credendum docet, quod natura sua aptum est, ut homines ad desperationem inducat, ille non est sanctus.

Deus per doctrinam de absoluto decreto, id credendum do-
cet &c.

E. Deus per doctrinam de absoluto decreto non est sanctus.
Majoris veritas ex ea controversiam est.

Minor probatur.

Quicunq� docet, quibusdam tantum hominibus salutem ac fidem & Christum morte sua acquisivisse, & Deum dare absolute decrevisse, nec tamen in individuo exprimit illos, quibus salu- tem ac fidem & Christus morte sua acquisiverit & Deus dare ab- solute decreverit, is id credendum doeet, quod natura sua aptum est ut hominem ad desperationem inducat. Nam ex proposi-
tionibus his Particularibus nemo de salute ac fide sibi in individuo per Christum acquisita, & à Deo adeo danda ullam concipere spem potest. Quid restat ergo ex doctrina hac, nisi despe-
ratio?

Deus per doctrinam de absoluto decreto, docet, quibusdam
tantum hominibus &c.

E. Deus, &c.

§. XXXIII. Jam, quia hucusq� ex sanæ rationis Principiis demonstratum est, per Röelli doctrinam de absoluto à fide in Christum, sive Christo fide apprehenso. Electionis decreto, san-
ctitatem Dei, ipsamq� adeo Dei naturam everti, concludo, per
eadem Principia ita certum esse, quod hoc Röelli & Sociorum commentum nusquam à Deo unquam revelatum extare possit,
ut solari luce clarius falsum sit, quod Röellius affirmit, in Pau-
lina ad Ephesios Epist. I. c. absolutum Electionis decretum doceri.

SE.

SECTIO II.

ENimvero adversus hæc ex recta ratione deducta, quæ blasphemum in sanctissimum Numen esse absolutum Electionis decretum demonstrant, argumenta, habere se alia putat, quæ in acie pro se locet Röellius.

Unde I.I. c.p. 138. §. 86. hoc ei præfixo lemmate: Doctrina de „gratia & Prædestinatione ad laudem Dei debet proponi, scribit; „Quandoquidem Apostolus electionis, prædestinationis, omniscip „gratiæ & gratuitorum donorum ac bonorum in Christo, finem di „cit laudem gloriæ gratiæ Dei. Atque adeo inde ejus gloria, ad „eius laudem, illastrissimo modo elucet. Manifestum est, tantum „abesse, ut doctrina de electione & prædestinatione æterna veræ „pietati nociva sit, ut e contrario sine ejus recta cognitione & a „gnitione Deus debita gloriæ gratiæ laude privetur. Nec enim „omnia, vel naturæ, vel gratiæ, opera possunt esse ad Deum, ut „propterea astimetur, ametur, ac laudetur, nisi sunt Rom. XI. 36: „ex ipso, & per ipsum. Finis pendet ab origine. Non recte co „gnita prima rerum causa, ultimus earum finis intelligi nequit. Ne „que, cui debetur operis laus, sciri, non cognito opifice. Et illi „procul dubio debetur laus, cuius est opus, Illi amor, & gratia „rum actio, qui ex immerito amore & favore bona largitus est. Lau „dari ergo Deus nequit, nisi faciat laudabilia. Nec laudari ac „celebrari à peccatore gloria gratiæ ejus, nisi cognoscatur, omnia bo „na salutaria, ipsamq; vitam æternam, esse ipsius charismata gra „tuita dona in Christo, & divina potentia nobis donata, atq; esse „totidem perfectionum & virtutum ac gloriæ divinæ clarissima ar „gumenta, per quæ gloriosum se, & admirabilem atq; amabilem „in sanctis suis & credentibus demonstrare voluerit. Nec quis „quam veram bonorum ac donorum illorum naturam & indolem „recte intelligere, nisi cognoscatur, omnia illa charismata, quæ Deus „in tempore largitur, fluere ex immutabili gratiæ proposito, ex ele „ctione

Etione in Christo ante ja^cta mundi fundamenta, & prædestinati-,,
 one ad adoptionem in filios per Christum. Vera Scientia, est,,
 cognitio rerum per causas; præcipue primam. Tantum ergo,,
 honoris & debitæ laudis Deo detrahitur, quantum eorum operum.,,
 quæ ad laudem suam, vel in natura, vel in gratia, molitus fuit &,,
 fecit, de ipso negatur, & alii, non Deo, tribuitur. Hinc vide-,,
 mus, Christum, Apostolos, omnesq; sanctos Dei viros, pios o-,,
 mnes, non tantum omnia bona à Deo, ut patre luminum, cœl à,,
 quo Jac. I, 5. 17. omne donum bonum; & omne munus perse-,,
 Etum descendat, petere, sed & pro iis gratias illi soli agere. Qui-
 eunque igitur doctrinam de electione & prædestinatione in Chri-,,
 sto in Ecclesia Christiana proponi nolunt, illud in ea audiri, co-,,
 gnosci, & credi nolunt, quod Apostolo teste, est fons omnis be-,,
 nedictionis, omniumque salutarium charismaton, & materia gra-,,
 tiarum actionis ac laudis, Deum reddit eulogyon, & sine quo,,
 nulla esse, aut concipi potest, vel veri nominis gratia, vel laus,,
 gloriæ gratiæ. Nisi enim salutem, & omnia ad salutem necessaria,,
 omnesq; benedictiones spirituales, derivemus ab illa voluntatis,,
 Dei eudokia, qua in Christo nos ante ja^cta mundi fundamenta ele-,,
 git, ut essemus sancti & inculpati coram ipso in charitate, & præ-,,
 destinavit ad adoptionem in filios; atq; adeo à liberrimo & bene-,,
 volentissimo Dei proposito, peccatorem in Christo, & interveniente,,
 ipsius satisfactione, præter & contra omne meritum, regeneran-,,
 di, justificandi, sanctificandi, & plene perfecte^q beandi, seq; in,,
 eo hac ratione gloriosum, admirabilem & amabilem demon-,,
 strandi: non possumus Deum propterea laudare, & pro,,
 iis gratias agere. Neque vera essent Apostoli illa: Ephes. II, 8. 9.,
 10. gratia salvati estis per fidem: & hoc non ex vobis, Dei donum,,
 est, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim opus su-,,
 mus, creati in Christo JESU ad bona opera quæ præparavit, ut in iis,,
 ambulemus. 2. Tim. I, 9. 10. Deus nos salvavit, & vocavit vo-,,
 catione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum,,
 proprium, firmum & immutabile, nulliq; pœnitentiaz obnoxium,,
 pro-

„propositum & gratiam datam nobis in Christo IESU, decretam &
 „promissam etiam, ante tempora secularia: nunc vero manifesta-
 „tam, per illustrem apparitionem Salvatoris nostri IESU Christi:
 „qui mortem abolevit, vitam autem & immunitatem à corruptione,
 „in serena luce posuit per Evangelium. Scilicet, hoc ubique incul-
 „cant viri Dei 1. Cor. I, 29. 31, ut nulla caro glorietur coram Do-
 „mino, sed, qui gloriatur, in ipso gloriatur, ipsiusque gratiam &
 „imperitam benevolentiam in Christo estimet & celebret, ut uni-
 „cam salutis ac salutarium donorum omnisque boni operis
 „causam,

§. II. Potest hinc contra nos ita argumentari Röellius. Cu-
 jus finis est laus gloriae gratiae Dei, atque adeo ex quo Dei gloria ad
 ejus laudem illustrissimo modo elucet, id sanctitatem Deo non de-
 trahit.

Absolutae à fide Electionis, teste Paulo Eph. I. c. finis est laus
 gloriae gratiae Dei, atque adeo ex illa Dei gloria ad ejus laudem illu-
 strissimo modo elucet.

E. Absoluta à fide in Christum Electio sanctitatem Deo non
 detrahit.

Resp.

Minor falsa est. Paulus enim non novit aliam Electionem
 ad vitam æternam nisi eam quæ in Christo, sive propter Christum
 facta est, h. e. cuius causa impulsiva est fides in Christum sive Chri-
 stus fide apprehensus; atque de illa dicit quod tendat in laudem
 gloriae Dei; Röelli vero assertum, quod de absoluta Electione lo-
 quatur Paulus, ejusque finem statuat laudem gloriae Dei. Petatio est
 ejus, quod est in Principio. Et quia, Röellio fatente, non recta,
 sive falsa de Electione cognitio, Deum debita gloria laude pri-
 vat, quid clarius est, quam quod cognitio, qua Electio ut absolu-
 ta cognoscitur, dum Pauli de Electione doctrinæ contradicit,
 & falsa sit cognitio, & Sanctissimum Numen sanctitate spoliet? An
 laudari ergo Deus potest, cum causa efficiens illaudabilis actus
 con-

constituitur ? Laudari quidem gloria gratiæ Dei à peccatore non potest, nisi cognoscat, vitam æternam conferri ex Dei gratia propter Christum ; Sed id recte fieri non posse, nisi b eo , qui vitam æternam, & cetera charismata ex absoluta Electione fluere sentit, contradictoria esse, satis ex superioribus constat. Unde si ex Deo fit non Deus , quando tantum laudis Deo detrahitur , quantum operis, quod Deo debetur, alteri non Deo tribuitur, fit sane etiam ex Deo non Deus , si actus , qui sanctitatem Dei destruit, cuiusmodi absolutum Electionis decretum esse probavimus, Deo tribuitur. Quandoquidem ergo doctrina de absoluta Electione ita falsa existit, ut in Deum maxime ignominiosa sit, tantum abest, ut illa in laudem sanctissimi Entis proponi possit, ut tanquam horrenda & execranda ab omnium ore atq; animis quam longissime removeri debeat. Quod si qui Calvinianæ Scholæ Doctores expenderunt, mirum non est, ipsos existimasse, absolutum illud electionis monstrum sacro silentio coram promiscua multitudine obtegendum esse. Atq; adeo sic judicandum erit, non posse quenquam Deum laudare & gratias ei ullas agere , si ex electione Absoluta salutem suam derivare velit. Cum enim omnis religiosus actus sanctitatem involvat, non potest ullus religiosus actus versari circa objectum, in quo actus reperitur hujusmodi , quo id ab infinita sanctitate alienum, ipsaq; adeo religiosi objecti natura destitui se declarat. Taceo hic istum, qui ex absoluta Electione salutem suam deducendam audit, dum nullam de salute consequenda spem concidere potest, nullas pro salute sibi destinata gratias agere posse. Neq; vera essent Apostoli verba Eph. 2, 8.9.10. Gratia salvati estis per fidem &c. si absoluta à fide Electio locum haberet. Nam si salvatio est per fidem, sive impellente ad illam fidem, etiam decretum salvandi est per fidem , sive impellente ad illud fide factum 2. Tim. 2, 9.10. Deus nos salvavit &c. secundum proprium, firmum & immutabile propositum, scilicet ordinem salvandi à se constitutum, qui est ille per fidem in Christum , non vero decretum electionis,

F.

cum

cum hoc , dum iuxta prothesin five propositum est factum, ipsum propositum esse nequeat; per quod adeo etiam electio non potest esse absoluta, sed impulsiva ejus causa est fides in Christum. Si porro gratia nobis data h. e. iuxta Röellum decreta & promissa ceterum in Christo, utique propter Christum fide apprehensum factum, nequaquam vero à fide in Christum absolutum , electionis decretum est. Hoc ergo relinquitur, si secundum Röellum, Dei gratia & immerita benevolentia in Christo celebranda & estimanda est, ut unica salutis causa, etiam hoc eadem Dei gratia in Christo estimanda & celebranda , ut unica decreti salvandi , h. e. electionis, causa est. Quemadmodum igitur, per Scripturam actualis Salvationis causa impulsiva interna est Dei gratia , externa Christi satisfactione fide apprehensa; sic & decretum salvandi easdem causas impulsivas ita agnoscit, ut, qui non hoc modo de salute cogitans in Domino gloriari cupit, sed ex absoluta electione gloriam Dei in salutis negotio derivari vult, is Sanctissimi Numinis gloriam ignoriosa labe fœdet necesse sit.

§. III.

II. Doctrina de absoluta Electione est doctrina ad pietatem. Est haec, ait Roellius l.c. p. 832 §. 87. de electione & prædestinatione „in Christo doctrina, si quis eam bene perpendat, eaq[ue] recte utatur, revera doctrina ad pietatem. Cum enim Deus iis, quos elegit & prædestinavit, benedicat omni benedictione spirituali, per Spiritum suum sanctos & inculpatos reddat in charitate, regeneret, & ad imaginem ac similitudinem suam renovet, atq[ue] ita filios & heredes suos constituat; Gratia & gratuitis donis compleat & ornatis, & gratos sibi acceptosq[ue] faciat: oportet ut, quisquis ad consolacionem suam, certus esse cupit, se electum & prædestinatum esse ad adoptionem, omne studium adhibeat 2. Pet. 1, 10. vocationem atq[ue] electionem suam firmam faciat. Eoq[ue] fine ad Christum, in quo electi sunt, quotquot electi sunt, confugiat, eum per fidem amplexatur, sanctus & inculpatus esse studeat in charitate erga Deum & proximum 2. Cor. VII, 1. Eph. V, 1. Matth. V,

43. 1.Pet. I. 15. 16. II. 9. 1.Cor. XII. 31. 1. Pet. XVIII. 19. Rom.
 VIII. 28. ob omnibus inquinameritis carnis & Spiritus, se ipsum,,
 mundet, & sanctitatem in timore Dei perficiat, Deum Patrem, ut
 filius genuinus & ita dilectus imitetur , & sanctus sit, ut ipse san-,,
 ctus est, virtutes ejus , ad laudem gloriae gratiae ipsius, enarrat,,
 cum zelo charismata potiora affectet , grata Deo faciat, ut gratus,,
 ipsi acceptusq; sit, atq; ita en agathopoiia animam illi suam in fide,,
 & cum fiducia commendet. Sciens & persuasus. diligentibus De-,
 um omnia adjumento esse ad bonum , iis qui secundum proposi-,,
 tum ejus, quod firmum & immutabile est. vocati sint, nihilq; eos,,
 separare posse a dilectione Dei, quæ est in Christo JEsu, Domino,,
 nostro; seq; in omnibus plusquam victorem fore per eum , qui,,
 dilexerit ipsum. Quia scil. quos prænovit , etiam prædefinivit,,
 conformandos imagini filii sui , ut is sit primogenitus inter mul-,,
 tos fratres. Quos vero prædefinivit, hos & vocavit: & quos vo-,,
 cavit, hos & justificavit, &c. Dilecti, inquit Johannes , 1.Joh.III.,
 20. 24. si cor nostrum nos non condemnnet , habemus fiduciam,,
 apud Deum, & quicquid petierimus accipimus ab eo , quoniam,,
 præcepta ejus observamus, & quæ coram ipso grata sunt facimus.,,
 Et hoc est præceptum ejus, ut credamus nomini Filii ejus, & di-,,
 gamus alii alios, sicut præcepit nobis. Nam qui observat præ-,,
 cepta ejus, in ipso manet , & ipse in eo: & ex eo novimus, quod,,
 maneat in nobis, nempe, ex Spiritu, quem nobis dedit. Neque,,
 igitur, ut de electione nostra certi simus , necesse est , ut inspi-,,
 ciamus librum vitæ, & in eo nomina nostra scripta legamus ; sed,,
 ex effectis in nobis, certi esse possumus de causa ; Quisquis in se,,
 deprehendit Hebr. VI. 9. echo mena soterias ea quæ um salutem,,
 connexas sunt, inde scire potest, se immutabili Dei decreto ad salu-,,
 tem electum & prædestinatum esse. Fides an hypocritos, verus &,
 sincerus amor Dei & proximi, serium & perpetuum sanctitatis stu-,,
 dium , certi q; fructus & opera Spiritus S. in nobis, Eph. I. 13. 14,,
 sunt arrha & sigillum, quo ab eo obsignamur ad salutem. Qui,,
 bus ergo æterna salus curæ & cordi est, qua nihil esse debet prius,,

„aut potius, Hebr. VI. 11. 12. non debent esse segnes, sed omne
 „studium adhibere, ad finem usque, ut hac via perveniant ad ple-
 „ne certam spem salutis, & hereditario jure obtineant promissio-
 „nes. Nullum enim esse potest firmius spei illius fundamen-
 „tum, quam istiusmodi electionis ad salutem in nobis effecta,
 „charismata illa ametametela, atq[ue] adeo certa & indubitata signa
 ac sigilla Rom. XI. 29. immutabilitatis consilii divini, & electionis
 „nostræ ad salutem. Spes hoc fundamento nixa, Hebr. VI. 17. 20.
 „est tuta & firma anchora animæ, intrans in id quod intra velum
 „est; quo præcursor pro nobis intravit JESUS, secundum ordinem
 „Melchizedek Pontifex factus in æternum. Nihil ergo efficaci-
 „us hominem salutis suæ vere cupidum & studiosum movere & ex-
 „citare potest ad fidem, resipiscentiam. & pietatis, omniscip[er] virtu-
 „tis & boni operis exercitium, quam si cogitet, se hac ratione cer-
 „tum fieri de salute sua. Nulla amplior consolationis & lætitiae
 in Deo materia, quam talia in se reperire electionis suæ ad salutem
 „signa & argumenta. Nihil deniq[ue] validius impellere ad preces;
 gratiarum actiones, & laudes, quam si ad animum revocet, omnes
 „benedictiones spirituales, & quicquid veri boni vel acceperit, vel
 „desideret, vel exspectet, id omne Dei munera esse, & sibi do-
 „nari tanquam ametametelon charisma ex immutabili ejus pro-
 „posito, secundum electionem in Christo factam ante iacta mundi
 fundamenta. Atq[ue] uti hæc doctrina non dat licentiam peccandi:
 „qui enim electi sunt, ut sint sancti & inculpati coram Deo in cha-
 ritate; ita quoq[ue] ex ea non sequitur, quenquam Jef. XLV. 19. fru-
 „stra Deum querere posse. Sed e contrario validam ea quærenti-
 „bus Deum consolationem suppeditat, & ad eum ardentius quæ-
 „rendum stimulum & adhortationem. Neminiq[ue] etiam potest esse
 „caussa desperationis, nisi qui tantam salutem turpiter negligun-
 „obstinate in peccatis perseverant, neq[ue] operæ premium putant De-
 „in Christo communionem, abnegata omni impietate & mundi
 „nis cupiditatibus, quærere, & cum timore ac tremore salutei

suam operari, hacc ratione vocationem atq; electionem suam firmam facere.

Resp.

§. IV.

Demonstratum à nobis est , quod doctrina de absoluta Electione isti, qui eam recte perpendit , eçq; naturæ ejus conformiter utitur, doctrina vel ad securitatem , vel ad desperationem, adeoç revera ad impietatem sit. Jam qui ostendere vult, doctrinam, de absoluta Electione non esse doctrinam vel ad securitatem, vel ad desperationem, non sufficit, ab eo assiri, quod illum, qui naturæ absolutæ Electionis conformiter ratiocinatur , non oporteat, vel securitati vel desperationi se tradere, sed argumenta , quibus, aliter per naturam hujus doctrinæ fieri non posse , demonstravimus, solvenda ei sunt.

§. V.

III. Non est doctrina de absoluta Electione , l. c. p. 835. §. 87. contraria justitiæ divinæ. Porro, ait Roellius, nihil continet,, hæc de Electione & Prædestinarione doctrina quod contrarietur , justitiæ divinæ. Juste agit Deus, quod projure suo agit, Habet,, autem procul dubio summus atque any peui hynos Dominus ac Legislator jus gratiam faciendi reo, miserendi miseri, &, præter,, ac contra meritum ex indebito & liberrimo favore, ex misero,, modo se digno, & ad laudem gloriae gratiae suæ, beatum facien-, di. Ad id Deo neque sapientia, neç potestas , neç potentia,, deesse potuit. Ab altera habuit quoç jus exercendi adversus,, peccatores & reos justitiam vindicativam. Et quemadmodum ne,, minem actu damnat, nisi peccatorem & reum ; ita quoç non,, alios, quam peccatores & reos, damnare decrevit. Quale Dei,, judicium est in eventu , tale quoç concipi debet in decreto., Neque ergo reprobationem , salva Dei bonitate sanctitate , &, justitia, concipere possumus sine schesi ad peccatum & reatum,, ut actum absolutæ cujusdam potestatis, ubi pro ratione stet vo-, luntas, sed ut actum justissimi & sanctissimi judicis. Itaq; &

~~Opionis ac prædicti rationis ad Catechismum~~

„ut vocant, est homo peccator & reus. Electionis, homo peccator & miser, inter plures peccatores & miseros, talis Deo præcognitus & observatus in electione in Christo ante jacta mundi fundamenta, cuius ex immerito favore, pro eudokia sua & summa potestate & jure ad laudem gloriae gratia sua, misereri voluit. Reprobationis pariter peccator & reus, in quo, pro eadem potestate & jure suo, severitatem, & justitiam suam vindicativam, demonstrare voluit. Hoc modo ex eadem generis humani corrupti Rom. IX. 18. massa facere potuit vas misericordiae & vitae, ad decus & dedecus. Non est nobis propositum, hanc de objecto prædestinationis, inter Theologos magna animorum contentionem agitatam, quæstionem multis explicare & discutere. Illud verbo indicasse sufficit, objectum aeterni decreti divini, cum scheser ad certum actum considerati, & inde nominati, non aliud esse aut esse posse, quam subjectum illius actus, a Deo in eo statu & conditione præcognitum, in quo ille sancte juste, & decenter in tempore exercetur, & exerceri potest. Exercetur autem in eventu severitas & justitia Dei vindicativa in homine peccatore & reo. Peccator ergo & reus fuit objectum reprobationis. Misericordia pariter in tempore exercetur erga peccatorem reum & miserum. Homo ergo qua talis quoque fuit objectum electionis ad salutem.

§. VI.

Resp.

Deus quidem, quemadmodum per naturam, per quam Deus est, sic & in justitia administranda a nullo superiore dependet; peccatorem tamen non præstata satisfactione inultum dimittere, perinde ac præstata satisfactione damnare velle, natura ejus divina, per quam justitia ipsi essentialis est, repugnat. Id quod satis patet si, Röellio non diffidente, quale est judicium in eventu tale est in decreto. Nam quia Deus neminem, ceu a Röellio etiam cum Scriptura docetur, salvat, nisi propter satisfactionem Christi

Christi finali fide apprehensam, & neminem damnat, nisi propter apostolia finali eandem repudiatam, sequitur omnino, Deum etiam ab aeterno non decreuisse quemquam vel salvare, vel damnare, nisi propter easdem causas. Quo pacto Deum ab injustitia quidem absolvit Röellius, expirat tamen simul absolutum illud Electionis & ei annexum Reprobationis decretum. Tum juxta Röellium, objectum etiam aeterni decreti divini cum schesi ad certum actum considerati & inde denominati non aliud est, aut esse potest, quam subjectum illius actus a Deo in eo statu & conditione praecognitum, in quo ille sancte, juste, & decenter in tempore exercetur & exerceri potest. Si autem, Deo ipso revelante, exercetur actus salvationis in peccatore aeternæ damnationis reo, sed qui Christi satisfactionem fide finali apprehendit, & actus damnationis in ejus reo, sed qui finali apostolia Christi satisfactionem rejicit; haud aliud etiam, per justitiam & sanctitatem Dei, objectum decreti Electionis formale & adaequatum est, aut esse potest, quam homo peccator fide finali Christi satisfactionem apprehendens, & objectum decreti reprobationis formale & adaequatum, quam homo peccator Christi satisfactionem finali incredulitate rejiciens. Quemadmodum ergo falsum est, quod Röellius asserit in homine peccatore & aeternæ damnationis reo simpliciter exerceri actum salvationis & damnationis; Sic etiam, hominem peccatorem & rerum simpliciter & qua talenm objectum esse formale & adaequatum decreti Electionis & Reprobationis, falso esse sequitur. Neque fieri potest, ut objectum Electionis & Reprobationis formale & adaequatum simpliciter homo peccator & reus sit, nisi omnes homines vel tantum electi vel tantum reprobi sint. Sic vero non solum aperte veritati adversatur, quod, ut Röellius putat, peccatum, quo in communi corruptionis massa, ante factam vel Electionem vel Reprobationem, omnes homines infecti spectantur, ita Deum ad reprobandos quosdam illorum ex summo dominio moverit, ut tamen ceteros, non obstante eodem isto peccato in illis tanquam paribus,

ele-

elegerit, sed & manifestum est, Deum sic agentem ab injustitia
 non posse immunem esse. Si enim in electis id peccatum
 non est causa impulsiva decreti reprobationis, neç potest idem
 illud in reprobis esse causa impulsiva reprobationis. Alias sane,
 ut Electionis decretum ab omni causa externa absolutum esse de-
 fendat, decretum divinum ut sic ab omni causa impulsiva exter-
 na absolutum esse propugnare annititur Röellius. Aut ergo
 ex decretorum divinorum numero reprobationem ejiciat, aut
 nullam ei causam impulsivam externam concedat necesse est. Et
 cur reprobationem salva Dei bonitate, sanctitate, & justitia con-
 cipere non potest Roellius, ut actum absolutæ cujusdam pote-
 statis, ubi pro ratione stet voluntas, cum electionem causam
 omnem impulsivam externam respuere probaturus, eam ut actum
 absolutæ cujusdam potestatis concipiatur, cui pro ratione volunta-
 tem, salva infiniti Numinis Sanctissima Natura, stare afferat, do-
 cendo, consilii divini non aliam causam esse, quam Dei volun-
 tam? Tum vero Dei decretum ut sic determinativum est, Ita-
 que, juxta hanc Roelli doctrinam, tantum abest, ut Deus ad
 peccatum in reprobis tanquam ad causam impulsivam reproba-
 tionis respexerit, ut ne videre quidem illud in reprobis potuerit,
 nisi antequam eos ad peccatum & damnationem, tanquam me-
 dium & finem, decreto suo determinaverit. Non ergo respectu
 peccati, sive peccato impellente, sed ex odio in reprobos ab omni
 causa impulsiva externa absoluto, quod peccatum jam antegressum
 est, impulsus ad damnandi reprobos decretum Deus fuit.
 Hinc quia reprobri corrupta humani generis massa cum electis
 spectati fuerunt objectum miserum & miserabile, æque ac ele-
 eti, & tamen dum electorum est misertus, reproborum pro sum-
 ma sua potestate & jure non misertus, sed odio eos prosecutus est:
 quomodo cum Dei natura summe misericordes sancta ac justa sum-
 mam potestatem ac jus Dei, quod immisericordiam & injustitiam
 spirat, conciliabit Roellius? Fac autem respectu istius peccati,
 quo omnes & singulos in corrupta humani generis massa macu-
 latos

latos conspexit Deus, reprobos pro summa sua potestate ac jure, juste, damnare decreville, neq; istis adeo in miseria illa relictis Christum redentorem & fidem in illum destinasse Deum ; An tamen Deus reprobos, pro summa sua potestate & jure, juste, damnare potest, propterea quod Deo pro peccato illo Christi satisfactionem fide receptam non obtulerint, cum reconciliandi sibi Dei medium illud aeterno suo decreto Deus iesis absolute denegaverit ? Quid si juste Deus reprobos actu damnat propter Christi pro peccato isto satisfactionem finali incredulitate repudiatam ; annon summae injustiae Deus accusatur, quando non propter incredulitatem finalem sed illius peccati respectu reprobos reprobasse dicitur ? Paulus certe inique huic Röellii in Deum doctrinæ Rom. I. c. præsidii nihil affert. Exponit quidem Deo non deesse potestatem ex corrupta humani generis massa istos, qui gratiosæ ejus operationi voluntarie non resistunt, faciendi vas ad decus, ornando illos Christi justitia, per fidem ipsius imputata, ceteros vero, qui huic operationi suæ voluntarie se opponunt, faciendi vas a fido. eis, illam justitiam hanc largiendo. At hoc ipso nequaquam Deo potestatem & jus Paulus tribuit, quosdam ex corrupta humani generis massa, decreto quodam, quod cuiusam impulsivam non agnoscit Christi meritum fide finali apprehensum, eligend, ceteros vero, in peccato isto electi, simpliciter pares ex absoluto odio reprobandi, nedum ex absoluto odio reprobatos, propterea quod Christi satisfactionem, pro solo electorum peccato præstatam, fide amplexi non fuerint, actu damnandi. Neque adeo dum vas iræ Deum multa makrothymia tulisse, & vas misericordie preparasse ad gloriam significat, hoc ipso Deum quosdam ex corrupta humani generis massa pro sua potestate & jure sine misericordia damnationi destinasse, quosdam vero absolute decreville salvare edocet. Nam vas iræ non sunt reprehobi, nedum absolute reprobati ; sed sua ipsorum culpa induciti, adeoque digni, in quibus iræ sua exemplum, prout in inducito Pharaone fecerat, Deus statuat. Vas misericordiae, non sunt

G

abso-

absolute electi, sed illi, qui Deo, ad misericordiam suam recipiendam eos idoneos redditur, voluntarie non resistunt.

§. VII.

IV. Doctrinam de absoluta Electione esse notam veræ religionis vult Röellius. Denique sunt verba ejus p. 836. §. 89. et „hoc monere debemus, hanc singularem doctrinæ religionis nostræ præ aliis prærogativam, & veritatis ac divinitatis ejus notam ac characterem esse, quod sola in inquisitione & explicatione causarum salutis, omnia refert ad Deum, ut primam causam; ad ejus eudokianæ, immeritum favorem, indebitam gratiam, & liberrimam electionem & prædestinationem in Christo, ante jaeta mundi fundamenta, ut unicum principium & uberrimum omnis boni salutaris fontem; ad laudem gloriæ gratiæ divinæ, ut ultimum finem, atq; adeo sola docet, omnia, ut in natura, ita & in gratia, esse ex Deo, per Deum, & ad Deum, ipsiq; soli propterea deberi gloriam in secula. Sola cum Apostolo dicere vere potest, Benedictus Deus & Pater Domini nostri IESU Christi, qui nobis benedixit omni benedictione spirituali in Christo: Quemadmodum nos elegit in ipso ante jaeta fundamenta mundi, ut simus sancti & inculpati coram ipso in Charitate; & prædestinavit ad adoptionem in filios sibi per IESUM Christum pro benevolentissimo & liberrimo voluntatis suæ placito, ad laudem gloriæ gratiæ suæ, qua nos gratia & donis gratuitis complevit & ornavit, & gratos sibi acceptosq; fecit in dilecto illo. Sacrilega est omnis religio, quæ laudem hanc gloriæ gratiæ Deo detrahit, & aliis tribuit, neq; agnoscit & confitetur, omnia ad vitam æternam & pietatem necessaria nobis ex mera, præter & contra omne meritum, in Christo donari, divina potentia.

§. VIII.

Resp. Doctrinam de absoluta Electione religionis illius, ce-

jus

ius pars est, falsitatem probare, ex superioribus liquet. Quæ enim religio Deo sanctitatem & ipsam adeo divinam naturam detrahit, ea hoc ipso originem suam Deo non deberi manifestat. Neque ergo illa religio inquisitione & explicatione causarum salutis omnia ad Deum referre potest, ut primam causam, quæ ex Deo facit non Deum. Dum propter Christi meritum fide finali apprehensum negat Deum salvandos decreuisse salvare, Christum salutis causam meritoriam esse negat. Gratia divina certitudinem nulli in individuo ostendere potest, quæ odium Dei pro gratia exhibet. Quæ gloria attributorum divinorum & naturæ divinae Deum privat, ad laudem gloriae divinae referre nihil potest. Concludat jam contra se Röellius, quia religio, quæ absolutum Electionis decretum proponit exosculandum, ita agit, quod illa sacrilega religio sit.

SECTIO III.

§. I.

Nunc ad Argumenta accedimus discutienda, quibus à Paulo doctrinam de absoluta Electione tradi, Comment. p. 627. seq. confirmare conatur Röellius, atq; sic eadem enumerat.

I. Dum gratiam illis, & pacem [Paulus] apprecatur à Deo, Patre ipsorum, & Domino Iesu Christo: clare innuit, à divina, gratia, hoc est, immerito Patris & Fili favor, & liberrimo praeter & contra meritum salvandi proposito, pacem & communione cum Deo, omniaq; ad salutem necessaria petenda atq; exspectanda esse. Hanc enim esse in Scriptura veram gratiam significationem, supra abunde evicimus.

Resp. Gratia Dei ita est causa impulsiva interna Electionis, ut illa non excludat causam impulsivam externam meritum fide apprehensum, nisi, qui causa impulsiva interna justificationis & salvationis est Dei gratia, excludatur à causa impulsiva externa justificationis & salvationis Christi meritum fide apprehensum sive fides in Christum,

G 2

§. II.

§. II.

„II. Eo ipso, quod Deum laudat, illiç gratias agit pro omni
 „benedictione spirituali, qua ipsis benedixerit in cœlis in Christo:
 „omnia tam hujus quam futuræ vitæ bona ac dona atq; adeo ipsam
 „etiam fidem, fideiç obedientiam, Dei Patris immerito favori,
 „Christi merito & intercessioni, atque efficaci Spiritus Sancti o-
 „perationi, accepta ferenda, & tanquam toto charismata grā-
 „tuita dona grato animo & ore celebranda esse, manifesto docet;
 „uti kata meros antea demonstravimus. Benedictiones enim il-
 „lx arguant Dei benedictis cum potentiam ac divitias, tum gra-
 „tiam & liberalitatem: eorumque quibus benedixit impotentiam
 „& indigentiam.

Resp. Est omnino fides in Christum Dei Patris immerito favo-
 ri, Christi merito & Spiritus Sancti operationi eam in illis, qui
 voluntarie isti non resistunt, producenti accepta ferenda; sed pro-
 pterea hanc ipsam fidem sive Christi meritum fide apprehensum
 non posse esse causam impulsivam Electionis, negamus. Etiam si-
 des est causa impulsiva justificationis & salvationis, an vero Dei
 gratia, meritum Christi & Spiritus Sancti operatio propterea fi-
 dei ad justificationem & salvationem Deum impellenti detrahitur?

§. III.

„III. Benedictiones omnes spirituales, atque adeo & fides,
 „atq; obedientia fidei ex Apostoli sententia fluunt ex electione ut
 „vera causa, non vero sunt causa electionis. Benedixit enim
 „nobis Deus omni benedictione spirituali, kathos ex electato, sicuti
 „legit nos ante fundationem mundi: hoc est ad eum modum, quem
 „ipse definivit: ut non tantum accurata sit inter electionem factam
 „ante jaeta mundi fundamenta, & benedictiones, quæ conferuntur
 „in tempore, convenientia, sed & illa harum sit causa. Distin-
 „guuntur enim benedictiones ab electione, ut effectus & opus à causa
 „& norma.

Resp.

Resp. Fidem ex Electione fluere, ut vera causa, non vero esse causam Electionis, falsum est. Fluit enim fides ex decreto dandi fidem illis, quos fidem sibi datuero voluntarie non restitutos videt Deus, quod decretum illo Electionis prius est. Neq; ali; est Pauli sententia. Nam quia in Christo Deus elegit, sive impellente Christo facta est Electio. Christos autem nulli prodest ad salutem nisi fide apprehensus; Christus fide apprehensus juxta Paulum, Electionis causa est. Ergo distinguere Paulum fidem ab Electione, ut effetum & opus à causa & norma, à Röellio frustra dicitur.

§. IV.

IV. Quando Deus nos elegisse diciter in Christo, ut essemus,, sancti & inculpati coram ipso in charitate: an hoc est, elegit, quia prævidit nos sanctos & inculpatos præ aliis futuros, per rectum,, liberi arbitrii usum? Annon, si verum amamus, nos elegit, ut,, nos, natura corruptos, impuros, vitios & flagitiis contaminatos,, atq; omni propterea contemptu ac vituperio dignos, per sanguinem & Spiritum Christi sanctificaret, amore inq; erga Deum &, proximum in corda nostra effunderet, atq; ita ad imaginem & similitudinem suam, in iustitia & sanctitate veritatis, renovaret?

Resp. Falsum est, quod Lutheranorum quisquam statuat, Deum elegisse nos, quia prævidit nos sanctos futuros, nedum per liberi arbitrii usum. Nec tamen propterea Electio ad salutem, sive decretum salvandi, cum Electione ad sanctitatem, sive decreto sanctificandi confundi, nec sanctitatem Electionis ad salutem finem esse, negari debet.

§. V.

V. Elegit nos Deus prooris eis hythesian prædestinans ad adoptionem. Quid hoc aliud, si ad verborum constructionem,, attendamus, quam, elegit nos ut essemus sancti, &c. Dum præ destinavit ad adoptionem. Ut posteriora verba contineant epe,, exegesin priorum. Vel, saltem: ita elegit, ut simul, prædestina-

„stinaverit ad adoptionem. Ejusdemq; adeo naturæ est electio &
 „prædestinatio ad adoptionem. Est autem hyothesia adoptio, actio
 „illa liberrima & plane arbitraria, qua quis pro lubitu suo eum, qui
 „natura non est filius & hæres , vel testamento constituit & desi-
 „gnat filium & hæredem; vel reipsa in familiam suam assumit , &
 „jura illi ac privilegia filiorum largitur. Prædestinatio ergo ad ad-
 „optionem nihil aliud heic est, quam liberrimum decretum Dei,
 „quo pro mero suo placito eos, qui natura non erant futuri filii &
 „hæredes ipsius, in filios & hæredes assumere decrevit In quo e-
 „lectio ad hoc, ut essent sancti & inculpati coram ipso in charitate,
 „necessario comprehenditur. Quandoquidem Deus reipsa nemi-
 „nem alio modo assumit in filium & hæredem, quam illum primo
 „regenerando, & sanctificando, tum vero illi dando exusian tek-
 „non Theu genesthai, potestatem se gerendi pro Dei filio & hærede,
 „Joh. I. 12. 13. & jure ac privilegiis filiorum Dei utendi ac fruendi.
 „Uti ergo liberrima prædefinitio ad adoptionem unica causa est, cur
 „quis fiat Dei filius & hæres , ita electio unica causa, cur quis fiat
 „sanctus & inculpatus coram Deo in charitate.

Resp. Si Electio ad vitam æternam & prædestinatio ad adop-
 tionem ejusdem sunt naturæ, agnoscit sane Electio ad vitam æter-
 nam causam impulsivam meritum Christi fide finali apprehensum:
 Nam Paulus prædestinationem factam esse declarat dia JESU Christu-
 per & propter Christum; qui autem ut jam dictum, ad salutem a-
 etu conferendam nulli prodest, nisi fide finali apprehensus. Et
 si Deus neminem actu assumit in hæredem vitæ æternæ , nisi prius
 regeneratum; etiam objectum illius decreti, quo decrevit aliquem
 assumere in hæredem vitæ æternæ , haud aliud esse potest , nisi in
 præscientia Dei regeneratus , sive fide donatus. Confirmatur id
 Joh. I. 12. ubi , dum credentibus in nomen filii Dei exusia ta tek-
 na Theu genesthai datur, objectum decreti divini, quo filiatio qui-
 busdam decreta est , haud aliud quam is , qui ut crediturus divino
 intellectui ab æterno obversatur, fuit, constituitur.

§. VI.

§. VI.

VI. Apostolus ipse expressis verbis veram electionis illius & prædestinationis originem indicat. Quæ, si illi fidem habemus,, nulla alia est, quam eudokia tu thelema to autu. Eudokia au-,, tem & eudokein, interprete ipso Grotio, ad h. l. et si alias in alienum omnia sensum detorqueat , significat decretum ita liberum, ut aliquis ejus rationem alteri reddere non teneatur. Ut, si quis,, quærat, cur Deus tanta illa bona illorum temporum hominibus,, impertiverit ? Pro Deo responderi poscit. Non licet mihi de meo facere, quod volo? Matth. XX. 15. Et miserebor cujus miserebor,, Rom. IX. 15. Sic γραπτον poni de decretis quorum causa ignoretur,, notante Abrabanièle, ad Jes. LV. 10. Ita Servium dicere ad ini-,, tium tertiae Æneidos : Quotiescunq[ue] ratio vel judicium non ap-,, paret, SIC VISUM , interponitur. Quo sensu Rabbi Israël, ex Rabbi Josepho, filio Carnitolis , dicat, mundum à Deo conditum,, ex eudokias ex libitu. Quoniam ergo Deus nos elegisse, & præ-,, destinasse ad adoptionem dicitur, Kata ten eudokian tu thelema-,, tos autu pro libitu voluntatis suæ: ratio electionis unius præ alio,, & prædestinationis & adoptionis , non est prævisa fides & san-,, titas in ipsis electis; sed libertimum Dei placitum, quo miser-,, tus fuit quorum miseri voluit, est unica causa, cur eos elegerit,, ut essent sancti & inculpati coram ipso in charitate, & prædestina-,, verit ad adoptionem. Verba enim illa. secundum placitum vo-,, luntatis suæ æque ad electionem, ac ad prædestinationem referen-,, da esse, patet ex constructione.

Resp. Eudokta notat in se voluntatis placitum, abstrahendo an illius ratio aliqua sit, nec ne , & an rationem, quam quis placi-,, citi sui haber, alteri exponere teneatur, an minus. Nemo tamen qui ratione recte utitur, placitum voluntatis in aliquare constituit, five aliquid præ ceteris eligit , nisi ab intellectu causa prius, quare id præ ceteris placere debeat, five eligendum sit , voluntati oblata fuerit. Si vero ejus, qui præ ceteris alicui placet, five quem præ ceteris

ceteris alijuis eligit, quam maxime interest, nosse causam illam impulsivam placiti hujus, sive electionis suæ, haud alienum erit erit ab eligentis benigna voluntate, causam illam placiti sui akeri aperire. Itaq; cum eudokian, qua ad salutem hominum terminatur Deus, pro infinita benignitate sua ita manifestaverit, ut finali fide Christo inhærentes salvare decreverit, hinc eudokias hujus, sive placiti Dei, quo quosdam salvare is decrevit, causam impulsivam externam esse fidem in Christum concludimus.

§. VII.

VII. „Electio & prædestinationis finis est laus gloriæ gratiæ divinæ, qua nos gratos fecit, & donis gratuitis, charismatis, cumulavit in dilecto illo, Christo, Electionis ergo & prædestinationis causa quoq; est gratia erga electos, præter & contra ipsorum meritam, exercenda in Christo, interveniente ejus satisfactione & merito, ejusq; fructus & effectus proprius, charitosis illa, qua electos, per Christum sibi reconciliatos, gratiæ donis ornat, sibiq; gratos facit. Non ergo electi sunt, quia propter prævisam fidem, & rectum liberi arbitrii usum, gratiæ Deo fuerunt; sed quia, ut ex mera gratia ante fundationem mundi electi sunt & prædestinati ad adoptionem, ita in tempore quoq; per gratiam efficacem gratiæ donis ornantur, & Deo ipso grati fiunt.

Resp. Finis Electionis est gloria gratiæ divinæ, qua tanquam causa impulsiva interna commotus Deus, tanta gratia, apud se valere voluit eos, quos elegit, ut propter Christi meritum fide finali ab iis apprehensum eosdem elegerit. Charitosis ergo illa non est effectus electionis, sed charitosei ntitur Electio.

§. VIII.

VIII. Gratiæ illud exercitium, atq; adeo & electionem ac præ-

prædestinationem, nullo nisi hominum merito sed mera Dei,,
misericordia, & sponsione ac satisfactione Christi, validissime,,
confirmat Apostolus , quando, ut charin & charitosin illam,,
explicet, addit: in quo habemus redēptionem per sanguinem,,
eius , remissionem lapsuum , secundum divitias gratiæ ipsius.,,
Redēptione enim quæ facta est à Christo per Lytron , ut vox,,
græca docet, & remissio lapsuum manifeste omne hominis me,,
ritum excludunt. Et hinc totidem verbis diviti Dei gratiæ ad-,
scribuntur.,,

Resp. Si Electio ad vitam æternam ita nititur misericordia
Dei , tanquam causa impulsiva interna , ut tamen nitatur simul
Christi merito , excludit illa quidem omne meritum humanum,
sed non Christi meritum & fidem in illud finalem, tanquam cau-
sam impulsivam externam adæquatam.

§. IX.

IX. Dum eidem diviti ejus gratiæ attribuitur, quod nos a-,,
bundare fecit omni sapientia & prudentia, utiq; significatur ve-,,
ram sapientiam & prudentiam sanctorum esse donum & effe-,,
ctum divinae gratiæ. Deus enim dat sapientiam. Et ab illo, ut,,
Patre luminum , omne donum bonum & omne munus perfe-,,
ctum descendit. Jac. I. 5. 17.

Resp. Vera sapientia & prudentia sanctorum est quidem
donum & effectus gratiæ divinae , fides tamen pariter ac Electio
ita sunt dona & effectus gratiæ divinae , ut fides Electionis causa
impulsiva esse non desinet.

§. X.

X. Illi qui in Christo sortem acceperunt , atq; idonei fa-,,
sti sunt ad partem sortis sanctorum in luce, Col. I. 12. ut cense-,,
antur in populo Dei, ejusq; sors & hæreditas sint, ad id præde-,,
finiti fuisse dicuntur secundum propositum ejus, qui omnia o-,,
peratur secundum consilium voluntatis suæ , ut essent ad lau-,,

H

dem

dem gloriæ ipsius Act XXVI. 18. Illique etiam ; ut conexio
 docet. in plenitudine temporis in Christo in unam summam re-
 dacti fuerunt cum iis qui erant in cœlis. secundum eudokian
 liberum placitum Dei, quod præstiterat in se. Unde evidentissi-
 me patescit, causam, cur re ipsa partem acceperint in sorte san-
 ctorum in luce, & facti sint sors ac hæreditas Christi, esse cum
 eudokian liberum placitum & consilium voluntatis divinæ, quo
 ad id prædestinati fuerint ; tum anakephalaiosis eorum qui in
 cœlis & in terra erant in Christo, in plenitudine temporis, hoc
 est ut nobis videtur, utrorumque in Christo, Heb. IX. 15-26. XI.
 39. 40. per unicam ipsius oblationem, semel factam in consum-
 matione seculorum, ad expianda etiam peccata eorum, qui
 jam erant in cœlis, consummationem : tum denique efficacem
 Dei operationem, secundum consilium voluntatis divinæ. Hæc
 autem omnia & singula excludunt propria hominum merita.
 Eudokia enim Dei non aliam habet rationem, quam quia illi
 sic visum fuit. Etsi nihil etiam pro eudokia sua decreverit, ni-
 si quod sit sanctissimum, & facit ad laudem ipsius. Et eorum
 quæ in cœlis & quæ in terra sunt anakephalaiosis in Christo,
 secundum illam, probat, nulli post hanc vitam aditum in cœ-
 lum vel patuisse unquam, vel patere ; nulli etiam in hac
 vita contingere partem in sorte sanctorum, nisi propter liber-
 rim decretum Patris, & sponsionem ac satisfactionem Filii.
 Denique, si operatio Dei efficax facit, ut prædestinati secundum
 propositum Dei sortem accipiant in Christo. oportet, ut ea quo-
 que fidem in iis operetur, per quam Christo inserviantur, & Dei
 hæredes, Christique cohæredes fiant. Neque ergo Deus eos ele-
 git & prædestinavit ad salutem propter prævisam fidem ; sed ad
 fidem & que, ac salutem, eamque in illis secundum consilium vo-
 luntatis suæ operatur, ad laudem gloriæ suæ.

Resp. Si pro eudokia sua nihil decrevit Deus, nisi quod sit
 sanctissimum, sapientissimum, ac faciat ad laudem ejus, non po-
 suis

tait pro eudokia decernere vitam æternam hominibus peccato-
ribus, nisi finaliter in Christum credituris. Si nemini ad cœlum
pater aditus, nisi propter Christi satisfactionem etiam nemini
nisi propter Christi satisfactionem aditum ad cœlum conce-
dere decrevit. Si oportet ut Deus supernaturaliter in præ-
destinatis fidem finalem operetur, per quam Christo ita inse-
ratur, ut Dei hæredes, Christi cohæredes fiant; non tantum
humanarum virtutum opus fides non est, sed potuit Deus decernere,
actu aliquem id hæreditatem illam non adducere, nisi quem præ-
viderit finali fide Christum amplexurum. Non ergo ad salutem e-
legit De⁹ propter prævisam fidem, sed propter prævisum meritum
Christi finali fidic apprehensum. Neque uno eodemq[ue] actu elegit
ad salutem, ut electio ad fidem, nostro concipiendi modo, Electioni
ad salutem præcesserit, & h[ab]itudo decreum hujus causa impulsiva sit.

§. XI.

XI. Electi & prædestinati ad adoptionem, in fide & per fi-
dem obsignantur in Christo Spiritu promissionis Sancto, tan-
quam arrhabone hæreditatis ipsorum, ad redemptionem acqui-
sitionis, ad laudem gloriae Dei. Spiritus Sanctus ergo, qui,,
obligat in fide & per fidem, procul dubio etiam est auctor fi-,,
dei, eamq[ue] ut conservat, ita & producit. Neque enim obsi-,,
gnare potest in Christo per fidem, nisi eam conservando, ne-,,
que conservare, nisi sit si leui causa. Et hinc Spiritus fidei voca-,,
tur, 2. Cor. IV. 13. Non sunt itaque electi & prædestinati ad fa-,,
ludem propter prævitam fidem & perseverantium in fide, quia,,
pendebat a libero & mutabili ipsorum arbitrio: ita enim & hæ-,,
reditas, & obsignatio in spe hæreditatis est dubia: sed fides,,
& perseverantia in fide, sunt opus Spiritus Sancti. Et Spiritus,,
Sanctus quo obsignantur, vocatur Spiritus promissionis. Da-,,
tur ergo gentibus secundum promissionem, atque adeo & pro-,,
positum Dei liberum. Est que arrhabo hæreditatis ipsorum.,
Sunt ergo testamento Dei liberrimo simul & immutabiliter consti-
tuti hæredes, & certa est ipsorum hæreditas, quia arrha hec,

H 2

nequit

„nequit esse fallax. Obsignantur in Christo, eis apolytrosis
 „res peripoiēseos ad redēptionēm acquisitionis, sive acquisi-
 „tam, aut, si mavis, eorum qui pretio asserti & acquisiti sunt. Est
 „ergo plena liberatio & salus in cujus spe obsignantur, effectus
 „lytru à Christo soluti, quo electos redemit & emittit.

Resp. Et fides & perseverantia in fide sunt opus Spiritus
Sancti, in quo producendo ille non irresistibili, sed resistibili
 potentia versatur, ita, ut in istis, qui voluntaria resistentia ejus
 operationi se opponunt, ab eo perficiendo desistat. Quos autem
 Deus prævidit operationi Spiritus Sancti ad fidem producendam
 & finaliter conservandam tendenti voluntarie non restituros, &
 iis fidem dare, & eos à fide hac impulsus salvare decrevit.
 Quemadmodum ergo ex parte Dei, vi infinitæ ejus scientiæ, e-
 lectio minime est dubia; sic credentes, si omnibus viribus sibi
 caveant, ne Spiritus Sancti gratiæ fidem conservaturæ volun-
 tarie oblitentur, de electione sua certitudine hypothetica certi
 esse possunt. Itaque licet non propter, tamen per prævisam fi-
 dem, sive impellente Deum propter Christi lytron fide, facta e-
 lectio est.

§. XII.

XII. „Apostolus pro fide Ephesiorum in dominum JESUM
 „& charitate erga omnes sanctos, Deo gratias agit. Sunt ergo
 „Dei gratuita dona, data electis pro eudokia ipsius.

Resp. Fides est donum Dei gratuitum, quod pro eudokia
 sua Deus ab æterno electis in tempore dat; verum qua ipsi pla-
 cui fidem dare, non absolute, sed voluntaria resistentia eam non
 rejecturis. Nihil ergo hinc obstat, quo minus fides electionis
 causa impulsiva sit.

§. XIII.

XIII. „Et hinc non tantum Deum Domini nostri JESU
 Christi

Christi, Patrem illum gloriae, orat, ut det illis Spiritum sapientiae & revelationis, in cognitione sua, & illuminatos oculos mentis, ut cognoscant spem vocationis suæ, &c. Sed & totidem verbis affirmat, eos qui credunt, credere secundum excellenter illam magnitudinem potentiae & efficacitatem præpollentiae virium Dei; quam efficaciter exeruit in Christo, dum eum excitavit ex mortuis, & collocavit ad dextram suam in cœlis. Omnis ergo sapientia revelatio; cognitio, illuminatio, & fides, sunt totidem effecta potentiae divinae, totidemque spirituales benedictiones & gratuita dona, quæ Deus, ut Pater Domini nostri Iesu Christi, atque adeo vi mortis & meriti ejus, largitur electis in Christo.

Resp. Si fides est effectus infinitae Dei potentiae, ut tamen Deus eam vi mortis & meriti Christi largiatur electis in Christo, falsum est, quod mortis Christi meritum fide finali apprehensum non sit electionis causa impulsiva externa. Fides proinde est dominum Dei gratuitum, à quo Deus impulsus gratuitum salutis dominum conferre decrevit.

§. XIV.

XIV. „Omnis Ecclesia plenitudo, omnia salutaria bona, est ex Christo capite omnia in omnibus implente: omniaque adeo humanus & futurae vitae dona, effecta meriti & potentiae Christi.

Resp. Est omnino fides effectus meriti & potentiae Christi; sed, quod propterea nequeat esse electionis causa impulsiva, petit id, quod est in principio.

§. XV.

XV. Homines natura sunt mortui in peccatis, diaboli & cupiditatum carnis servi, filii iræ; & per excellenter divitem Dei, misericordiam, gratiam, & amorem ab ipso vivificantur, resuscitantur, & in cœlis collocantur cum Christo. Vivificantur, ergo & resuscitantur, per regenerationem, illuminationem ad cognitionem.

gnitionem, fidem, & amorem veritatis, & continuatam sanctificationem, atq[ue] in cœlis collocantur, præter & contra omne suum, meritum, ex mera Dei gratia & misericordia, vi mortis & resurrectionis Christi, Rom. IV. 35. VI. 4. 5. traditi pro ipsis in mortem & resuscitati ad ipsorum justificationem.

Resp. Röellius sic colligit: Homines ex mera Dei misericordia propter Christi meritum fide donantur. Ergo fides non potest esse causa impulsiva Electionis. Negatur consequentia. Contrarium docet Scriptura.

§. XVI.

XVI. Qui salvantur, gratia salvantur per fidem; & hoc non ex ipsis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur, ejusque ipsi opus sunt, creati in Christo ad bona opera, quæ praeparavit Deus, ut in iis ambulant. Non tantum ergo salus & vita æterna, est Dei Rom. VI. 23. charissima gratuitum donum in Christo, sed & fides & bona opera. Et ad illa per novam creationem ita facti & formati dicuntur, ut nihil homo ex se & suis viribus habeat, in quo gloriari queat.

Resp. Vid. resp. ad Arg. XV.

§. XVII.

XVII. Causa cur gentiles, olim hospites testamentorum, promissionis, & alienati à Deo & Christo, facti sunt sub N. T. cives sanctorum, & domestici Dei, ad eumq[ue] ut Patrem in Christo, accessum habeant, non alia est, quam reconciliatio & pax facta, per crucem & sanguinem Christi, & efficax Spiritus Sancti operatio, conjuncta cum prædicatione pacis per Evangelium; atque adeo, electio in Christo ex mera Dei eudokia, & liberrima gratiae dispensatio secundum propositum seculorum quod fecerat in ipso.

Resp. Nihil novi afferitur; unde consul. præced. Resp.

§. XVIII.

§. XVIII.

XVIII. „Denique corroborationem interioris hominis ut Christus per fidem habitet in cordibus, radicationem & fundationem in charitate, profectum in cognitione Christi & amoris ejus, omnemq[ue] omnino gratiae & gratitiorum donorum Dei plenitudinem, Patrem Domini nostri Jesu Christi, & Spiritum ejus operari in electis, per eam potentiam, qua facere potest superabundanter supra omnia quae perimus aut cogitamus: eo ipso docet Apostolus, quod ab illo ea Ephesi apparetur; illique propterea gloriam & laudem deberi dicit in Ecclesia, in Christo Jesu, in omnibus generationes seculi seculorum,

Resp. Satisfaciunt & hic jam antea a me dicta,

§. XIX.

Atque haec luculenter monstrant, quam levis armaturæ militem, pro absoluto Electionis decreto, contra doctrinam de Electione per fidem, ex Scriptura pugnaturus, agat Röellius, dum hoc corruptæ rationis commentum Paulino textui ita intrudere molitur, ut ne subveri quidem specie quadam aliquid, quod ipsius causam suscipiat, ex illo proferre queat.

SECTIO IV.

§. I.

Hic adhuc restat considerandum, utrum, licet concedatur, erroneum esse istud de absoluto Electionis decreto dogma, tantum tamen ponderis id nequaquam sit, ut, qui hoc propugnant, in fundamento fidei & salutis errare affirmandi sint? Satis quidem decisam in superioribus, questionem hanc se offerre is existimaverit, qui per errorem illum Dei sanctitatem infinitam, ipsamque adeo divinam naturam adimi ex sanctæ Rationis Principiis intellexerit. Tantæ enim impietatis doctrinam omnis religionis fundamentum prorsus

ever-

evertere, eccei non dictabit recta ratio? Affirmativam tamen tueri
 nunc D.D. Christ. Matth. Pfaffium, nuperime publicæ Ejus scripta
 luci exposuerunt: utpote cujus Institutiones Theologizæ Dogmati-
 cæ & Moralis edit. Tübin, 1720. pag. 265. seqq. sic præcipiunt;
Nec dixerit quis, Reformatos heic FUNDAMENTALITER ER-,,
RARE. Qui enim absolutum decretum saltem in theoria statu-,,
 unt, atque in praxi in contraria omnia abeunt, absolutumq; re-,,
 probationis decretum nemini ante mortum impingunt, sed potius,,
 omnes in Electorum numero ponunt, nec de quoquam aliam sen-
 tentiam facile fovent; quicunque porro aliis egregiis doctrinis,,
 qualis maxime illa est de Testimonio interno Spiritus Sancti,,
 quo de gratia Electionis certi reddimur, & de criteriis fidei, con-,,
 versionis sanctificationisq; indole, ut alias taceamus, quicunq;,,
 inquam, aliis egregiis veritatibus quas nobiscum possident, ablo-,,
 lato decreto omnem nocendi vim, quæ in animos subinde influ-,,
 e posset, omni eçpericulum, quod solitarie spectatum illud sa-,,
 luti allaturum esset, admunt, quicunq; rursus nostris etiam con-,,
 sentientibus, huc et absolutum decretum statuant, tamen & salvati,,
 possunt & actu salvantur, ita, ut eorum, qui apud Reformatos ob,,
 absolatum decretum in desperationem labuntur, nullus rex index,,
 poscit & exempla hanc in rem saltem frequentia haud extent, illi,,
 alias ut rationes jam taceamus, fundamentaliter errari dici neque-,,
 unt. Quin & in ipsa Concordiæ formula nominatim contra,,
 Theologos Reformatos nihil heic decisum legitur, utpote post,,
 quam scriptam lis demum hæc acrior exarsit, sistemaq; præsens,,
 quod tenemus, explicatus traditum est. Et esset profecto ad pa-,,
 cem Ecclesiæ dandam consultum oppido, si JO BRENTII, si &,
 JACOBI ANDREÆ, virorum orthodoxaton & quos tota Ec-
 clesia nostra tanquam lumina veritatis admiratur, mentem hic o-,,
 mnes sequerentur, & ab abstrusis subtilibusq; controversiis, ubi,,
 in arcana providentiaz & sapientiaz divinæ descendimus, manum,,
 abstraherent, nec prædestinationem A PRIORI sed A POSTE-,,
 RIORI saltem rimarentur, quare tota uno halitu lis diffata in
 suram

auram abiret. Id quod vel ea propter necessarium quivis videt, quoniam ipse Apostolus Paulus hic exclamat, O. altitudo Rom. XI. 33. omnesq; qui jam de hoc articulo magnas inter se lites movent, tandem quicquid etiam agunt, in idem bathos, vel, inviti inspiciunt, inque libero Dei arbitrio acquiescunt, id qnod in fine dissertationis de gratia & prædestinatione à nobis editæ loculenter ostendimus. Nolimus itaque, ut, qui de absoluto decreto contra Reformatos disputat, dogma hoc solitarie & in abstracto spectet, ubi haud negaverimus periculosem id oppido esse & saluti nocere. Si vero in concreto res consideratur, & prout cum aliis eximiis veritatibus, quæ absoluti decreti vim subruunt, istud connectitur, longe alia controversiæ hujus scena emergit. Explicemus mentem nostram data instantia. Mercurius sublimatus primarium inter venena locum occupat, si vero debito modo præparetur, visque nocendi ipsi offuso Mercurio vivo per novam sublimationem adimatur, in medicinam præstantissimam evadit, saltem venenum amplius non est. Idem hoc posterius, eadem ratione de absoluto decreto affirmaverim. Scilicet venenum omne, ubi antidotum statim adjunxeris, venenum amplius non est, utpote quod veneni formam perdiderit. Nec sane & a communi via quam Theologi nostri hactenus trivere, heic abimus, cum quicunq; hactenus absolutum decretum inter errores fundamentales retulere, illud in ABSTRACTO saltem & SOLITARIE non in CONCRETO & prout veritatibus aliis iis, que plane salutaribus dilutum est, spectaverint. Huc tendunt quæ in Alloquio Irenico ad Protestantes Ratisbonæ 1720. p. 10. seqq. scribit: Esse heic consiliornm divinorum bathos quoddam & profunditatem, quam ne ipse quidem Apostolus Paulus LICET DIVINITUS INSPIRATUS satis assequi potuerit, in quam & vel tandem omnes, qui longas de hoc articulo (prædestinationis) lites necunt, ex propria confessione precipites velint no lint, cadere necessum habeant, fatendam itaq; heic ignorantiam nostram & suspendendum iudicium plenioremq; rerum evolutionem seculo futuro reservandam esse. Ibid. Num Deus serio, velit,

I

"velit, ut omnes homines juxta ordinem salutis ab ipso institu-
 "tum salventur, & num Deus omnibus hominibus media salutis
 "tum externa tum interna destinaverit, num & è statu
 "gratia quis labi possit, tamen, ubi Reformati, inter quos vero
 "sunt, qui ad universalitatem gratiae hodie plurimum adspirant,
 "heic maximam partem in negativam adhuc descendunt, FIDEI
 "tamen FUNDAMENTUM ISTA DOCTRINA NONDUM
 "SUBRUUNT. Etsi enim solitarie spectata periculosissima esse
 "et certam illam, qua salutem in conversione nostra apprehendi-
 "mus, fiduciam jugulare, saltem sufflaminare vel securitatem vel
 "desperationem impietatemq; omnigenam plurimaq; alia pessima
 "consecaria secum vehere ab Augustanæ Confessionis Theologis
 "existimetur, tamen, cum in ipsa conversione testimonium Spir-
 "itus Sancti internum statim adsit, cum & hæc doctrina egregiis
 "de vera conversionis & sanctificationis indole & criteriis eodemq;
 "illo quod nos de gratia divina longe certissimos reddit, Spiritus
 "Sancti testimoniis doctrinis veritatibusque aliis præstantissimis
 "de libertate voluntatis humanæ præmii saltem & pœnæ capace &
 "de imputabilitate actionum nostrorum, de malo saltem ex nobis
 "propullulante sanctitatiq; & voluntati divinæ prorsus contrario
 "et de necessario plane sanctificationis studio, sine quo nemo sal-
 "vari poscit, diluatur, cum & in sermonibus ecclesiasticis ita ser-
 "mo à Reformati inflectatur. ac si nulla prædestinatio absoluta
 "crederetur, nemoq; ex numero prædestinorum vel eorum
 "queis gratia conversionis destinata est, excludatur, nec philav-
 "tia hominum patiatur, ut quisquam sua sponte huic catalogo se-
 "se immittat, & monita practica à Doctoribus Reformati ita infle-
 "tantur, ut ad omnes pertineant, utiq; periculum, ex prædesti-
 "natione absoluta quod manet, maxime si Supralapsarianismo ad-
 "hinnias, valde minuitur, imo facile patescit errorem hunc theo-
 "reticum eum hic esse, qui in praxin vix influat, nec ædificatio-
 "nem turbet. Et sane, fundamentum fidei heic non subrui vel
 "ex eo quis extimaverit, quod & Augustinus & Lutherus, at
 "quando

quanti Viri ! Reformatorum heic sententiam tenuere , quos ,
 vero ex Theologis Augustanæ Confessionis nemo est qui da-
 minet , adeo ut memoriam corundem in summo potius pretio
 habeant . Ut taceamus hanc litem nec in Augustana Confes-
 sione nec in Formula Concordiæ decisam , sed post hujus scri-
 ptionem demum fusius ventilatam & in litium fundamenta ium
 classem à Theologis illatam fuisse : Ex quibus Orat. Acad. Hex.
 Edit. Tubing. 1721. 4. I. pag. 16. repetit ista : Qui canonem ,
 hunc sequitur & controversias ad amissim ejus expendit , fa-
 cile perspicit , quod qui Reformatis à nobis objiciuntur , erro-
 res fundamentum fidei haud interficiant . Etsi enim , quæ de
 prædestinatione absoluta & de irresistibilitate gratiæ deque fidei
 proskairo ab ipsis dicuntur , ita comparata sint , ut in se spe-
 cialia fundamentum fidei subruere posse videantur , tamen ea-
 dem in connexione sua cum aliis egregiis veritatibus confide-
 rata ita diluuntur , ut fidei ipso actu nil nocent , atque intelle-
 quam solum in transversum tantisper agant & extra illum non
 egrediantur , sed ipsis illis veritatibus , quæ erroribus junctæ
 adparent , mox suppressantur atque corrigantur . Ex quo uici-
 que consequitur , errores istos , etsi fundamentales in se videri
 possint , tamen in connexione sua fundamentales non esse , id
 quod nobis sufficit ,

§. II.

In quibus doleo Virum Celeberrimum ingenio & eruditio-
 ne , dotibus à sanctissimo Numine ad sanctitatis ejus gloriam il-
 lustrandam & vindicandam sibi concessis , adversus eandem uti,
 ac dum pietati militare se arbitratur in illam arma convertere .
 Neq; adeo moleste feret , hac me occasione ab Ejus sententia pu-
 blice hic discedere , cum id , siquidem cum ratione fieri possit ,
 non invitus videatur admittere , Instit. Theol. Dogm. & Moral.
 pag. 23.

I 2

§. I. I.

48 50

§. III.

Equidem concedimus, quod illi, qui absolutum prædestinationis decretum menti infixum tenent, dum in praxi illa, quam in sermonibus sacris minus convenienter huic doctrinæ exerceant, ab eo proponendo ita abstinent, ut ista taceant doctrinæ capita, quæ cum illo necessario connectuntur, oppositas vero eidem veritates Auditoribus inculcent, in ista tum praxi non fundamentaliter errant, sive id doceant, quod fundamentum fidei & salutis evertit. Verum hoc minime est in quæstione. Quæritur enim: Utrum absolutum prædestinationis decretum, quando illi, qui istud amplectuntur, praxin hujusmodi in sermonibus sacris instituunt, quæ absoluti prædestinationis decreti naturæ plane disconvenit, propterea naturam suam ita amittat, ut id error, qui fidei & salutis fundamentum evertit, esse definat, atque isti, qui hunc fovent, non fundamentaliter errant? Quod nos negamus.

§. XIV.

Nec probatur hoc à Viro Celeberrimo. Licet enim Reformati in sermonibus Ecclesiasticis, & alias etiam, ita Auditoribus suis proponant gratiam Conversionis, eosq; ad pietatem horrentur, ac si Deus quantum in se est, velit omnes & singulos homines salvari, Christ^o omnibus & singulis hominibus morte sua salutem acquisiverit, ac fides adeo omnibus & singulis hominibus à Deo offeratur, dum verbis, quæ, si non formaliter, virtualiter tamen universalitatem gratiæ divinæ & meriti Christi ex instituto significant, utuntur, non tamen hæ doctrinæ partes cum absolute prædestinationis decreto per se cohaerent, sed per accidens fit, ut cum illo conjungantur à Doctoribus Reformati, qui minus sincere universalitatem gratiæ divinæ & meriti Christi, quam absolutum decretum negat, propteriusq; particularitate, quam absolutum decretum asserit, substituant.

§. V.

§. V.

Itaque vi absoluti decreti illudunt hi Auditoribus, quando eos omnes & singulos ad conversionem adhortantur; dum sciunt, non posse se ulli ex ipsis in individuo citra formidinem oppositi dicere: Deus, quantum in se est, vult te salvari, Christus mo^{re} sua salutem tibi acquisivit, ac Deus vult adeo vires credendi & pio vivendi tibi concedere. Nemo etiam, qui ad Doctorem hujusmodi, quem alias doctrinam de absoluto decreto profiteri novit, audiendum accedit, aliter ex perspecta absoluti decreti natura colligere poterit, quam non nisi illusorium esse hoc de salute consequenda doctrinæ genus, quo ipse & ceteri, qui illi aures pizbent, miserrime traducantur.

§. VI.

Neque hominum philavtia, per quam quilibet quam optime sibi ipse cupit, id non pati dici potest, ut quis ex eorum, quibus gratia conversionis destinata est, se excludat numero; quoniam nemo qui mentis non plane expers est, bonum aliquod sibi ita cupit, ut statim, dum id cupit, etiam bonum suum esse judicet, nisi fieri posse, ut bonum illud adipiscatur. intellectus ipsi prius monstraverit. Stultissime igitur quispiam sibi persuaserit, Deum velle ut ipse convertatur, quando audit, de quibusdam tantum, sed in individuo non expressis, Deum absolute hoc velle ut ipsi convertanur. Quod si omnia individua humana Deum, quantum in se est, velle ut convertantur, percipit, non philavtia, sed à Conditore humanæ menti insita ratiocinandi vis, ut nec se ex horum numero eximat, jubet; quemadmodum eadem, ut sub particulari proposizione de se subsumat, prohibet.

§. VII.

Quare & absolutum decretum, non obstante illa praxi, natu-
ram

ram suam, per quam fidei ac salutis fundamentum evertit, retinet, & illi, qui praxin hanc exercent, dum absolute decreto inhabent, fundamentaliter errant.

§. VIII.

Et quid in causa est, cur Reformati, qui ad absolute decreti doctrinam per libros suos Symbolicos jurejurando adstringuntur, illudque in Cathedra Academica & scriptis publicis propugnant, idem in publico Ecclesiaz Cœtu non audeant aperte docere? nisi quod intelligant, Auditoribus suis, si illud vel ad naturale rationis judicium examinant, ejus impietatem statim ita patere, ut Deo illius origo adscribi nequeat, nisi omnis sanctitate, ipsaque divina natura exuatur, neque fieri adeo posse, ut qui illi doctrinæ convenienter statuit, ab impietate avocetur, aut ad pietatem sectandam inducatur. Sic certe ipso illi, qui doctrinam hanc amplectuntur, erroris, qui fidei & salutis fundamentum natura sua evertit, eandem damnant, seque per illud fundamentaliter errare declarant. Nam si absolute decretum in sacris Literis revelatum extare sine formidine oppositi noverunt, muneris ratio ipsis imperat, ne illud reticeant, aut aliis, ac in Scriptura comparet, coloribus pingant his, quibus nihil quicquam de divinitus ad salutem revelatis occultandum, aut aliter, ac divinæ Lite & edocent, exponendum est. Neque metuendum ipsis erit, ne doctrina, quæ fidei & salutis obtainedna causa revelata est, fidei & saluti per se detrimentum inferat, cum id prorsus adynaton esse & Revelatio & Ratio alta voce clament, Sicubi ergo doctrina aliqua ita se cognoscendam praebat, statim illa hoc ipso Autorem suum Deum non esse, ac fundamentum fidei & salutis per se ab illi everti, indicat, Per accidens autem si id doctrinæ revelata contingat, nihil hoc impedit, quo minus ista omnibus proponatur, nisi & Sacra Scriptura eandem omnibus pacificare non debuisset,

§. IX.

46 71 50

§. IX.

Quod si cum Röellio Socii doctrinam de absoluto decreto tanti censem, ut inde Dei gloriam ad ejus laudem maxime elucere dicant, ab eodem, eandem nequam coram populo occultandam pronunciante, nec dissentiant necesse est. Unde si qui alias absolutum decretum profitentur, & illius professioni jurejurando alligari se patiuntur, pro concione, vel alia occasione, tamen illud naturae suæ convenienter non aperiunt, ex hac id causa facere judicandi sunt, quod de illius impietate animus ipsorum convictus sit; quid clarus est, quam quod & ex suoi psorum judicio fundamentum fidei & salutis evertat id, ac ipsi a deo fundamentaliter errant?

§. X.

Egregiae siquæ sint & salutares doctrinæ, quas Reformati Doctores cum absoluto decreto sociant, hujusmodi sunt, quibus absoluti decreti natura contradicit, atq; adeo easdem à se quam sejunctissimas esse postulat. Si quis vero istis inhærente firmiter intendit, ut absolutum decretum ex animo plane ejiciat, necessarium est. Quod cum Calvinianæ Scholæ Doctores facere absolute detrectent, partes illius doctrinæ in se salutares absolutum decretum funditus tollit, ipsiq; fundamentaliter errare non desistunt. Putat quidem Celeberrimus Vir Instit. Theol. I. c. pag., 265, sententiarum inter Lutheranos & Reformatos de absoluto, decreto dissidium tantisper fuisse diminutum, ubi quidam Theologo Reformati, quos Universalistas vocant, maxime Francofurtani illi Strimesius & Holtzfußius, sua scilicet de gratia Dei, & meriti Christi universalitate doctrina propositus nobis accessere. At verbis universalitatē spirantibus craillum absoluti decreti Particularismum tegere, jam in Exercit. Anti-Tilianæ 1707. de Universalismo Strimesiano demonstravi, & latius in Ejusdem Vindictis Charitologiae Strimesianæ oppositis, alterui,

§. XI.

§. XI.

Testatur Spiritus Sanctus de gratia Dei in hominis animo non immediate, sed mediante Scripturæ doctrina; quæ si gratiam, juxta absolutum decretum, non nisi particularem tradit, ex ista de particulari gratia Dei doctrina nulla ulli de gratia conversionis, ne destinata quidem sibi certitudo nasci, nedum de hujus sibi jam collatæ certitudine Spiritus Sancti testimonium aliquod adesse potest. Nec gratia universalis admittit Spiritus Sancti testimonium Electionis certitudine nisi hypothetica; absoluta autem Electio certitudinem postulat absolutam. Hæc ergo dum absoluti decreti particularem gratiam confirmat, universalem destruit.

§. XII.

Qui absoluti decreti doctrinæ conformiter credit, in eo fides in Christum existere non potest. Ubi vero fides in Christum esse nequit, ibi nec fidei in Christum Criteria locum habent.

§. XIII.

De vera Conversionis, Fidei & Sanctificationis natura decreti absoluti Propugnatores veri nihil statuere possunt, quia decreti absoluti natura cum vera Conversionis, Fidei & Sanctificationis indole manifeste pugnat. Vel ergo qui de his veri quid docet, absolutum decretum hoc ipso falsum esse judicet; vel, qui absolutum decretum nihilominus verum esse vult, revera, cum istas proponit, lusum committat necesse est.

§. XIV.

Eodem modo se res habet cum ceteris, quas Reformati Doctores absolutum decretum comitari jubent, veritatibus; utpote quæ, cum absolute decreto tanquam primæ veritati, ex qua veluti ex fonte ceteræ fluant, nuntium isti mittere pertinaciter refluant, expirant in universum omnes.

XV.

§. XV.

Sive ergo in abstracto & solitarie sine istis, sive in concreto & cum istis absolutum decretum spectes, non illæ absolutum decretum, sed absolutum decretum illas diluit, ac manet adeo in se dogma quod fidei & saluti exitiose nocet.

§. XVI.

Unde simile allatum nihil facit ad rem. Nam Mercurius sublimatus, quando, affuso Mercurio vivo, veneni natura ei admittitur, cedit affuso sibi Mercurio vivo & ab ejus in se operatione superari se patitur; quod si non faceret, venenum maneret. Sic vero non cedit absolutum prædestinationis decretum veritibus sibi affusis, sed illis renititur, dum ab illis contradictionem sibi inferri & everti se adeopati non vult. In se ergo retinet absolutum decretum venenum suum, per quod saluti exitium est.

§. XVII.

Quicunque itaque ex Theologis nostris hucusque absolutum decretum inter errores fundamentales retulerunt, ad hoc impulsu fuerunt non exinde, quod non spectaverint conjunctas illi ab ejusdem Doctoribus doctrinæ quasdam partes in se verissimas, prout nunc demum illud cum istis spectet Vir Celeerrimus, atque ex ea causa, erroribus fundamentalibus id haud annumerandum censeat; sed satis animadverterunt jam tum, ea ipsa salutaris doctrinæ Capita connecti cum illo abominando dogmate à Calvini Sectatoribus. Nihilominus dum ita istud contemplati sunt, aliter non posse se pronuntiare sunt fassi, quam id ipsum fidei & salutis fundamentum prorsus evertere. Nam ex penitus inspecta & absoluti decreti, & veritatum salutarium, quas Reformati huic assidunt, natura satis intellexerunt, Propositiones, quæ cum illud tum has enuntiant, contradictorie sibi opponi. Quia autem contradictiarum propositionum hæc perpetua est

K

ratio,

ratio, ut, dum utraqp simul affirmari & negari nequit, eum, qui unam affirmat, alteram negare oporteat, atque Calvini Schola grande sacrilegium arbitratur, absolutum decretum vel latum unguem de sede sua dimovere, propterea, annexas isti contra naturam earum veritates non posse non pro falsis ab eadem haberi, concluserunt. Hinc, licet inter illud & has amicam societatem constitutam præferant Reformati, ipsis tamen primis Rationis Principiis eos adversari, & in re tanti momenti ut error circa illam saluti hominum & sanctissimi Numinis naturæ vim inferat, ludere manifestum est.

§. XVIII.

Vel unus ex Theologis gnesios Lutheranis, qui eos, qui **absolutum decretum**, prout in Calvini Schola id definitum est, statuunt, salvari posse & salvari docuerit, ostendi non potest. Si quis vero ita sentiat, is, ex Theologorum Lutheranorum gnesios talium numero se hoc ipso excludere profitetur.

§. XIX.

Indicem texi omnium illorum qui ad desperationem per absoluti decreti dogma inducti sint, necesse non est. Nec fieri id potest, cum non omnium, qui suas, de abjecta omni salutis consequendæ spe, ex hac causa ortas cogitationes exposuerunt, ita nomina innotescant, ut istorum iniri numerus queat. Multo minus intimos alterius mentis recessus explorare, & quid illic lateat vel desperationis, vel fiduciæ de salute ipsius, cruere humanarum virium est. Si horum, qui in desperationem apud Reformatos ob absolutum decretum labantur, exempla extente, juxta Virum Celeberrimum, saltem haud frequentia, non tamen nulla, sed quædam extant. Quod si ne unius quidem, qui ex absoluto decreto desperationi de salute sua se dederit, exemplum extaret; propterea tamen, quod natura sua absolutum decretum non sit aptum, ut desperationis laqueis doctrinæ isti inha-

rea-

rentem involvat, minime sequitur, & frustra adversus Formulam Concordiae negatur.

§. XX.

Equidem in Formula Concordiae non nominatum Calvini & Sectatorum ejus de absoluto decreto doctrina rejicitur; quamquam jam diu ante eam conscriptam horribilis illius absoluti decreti venenum suum orbi Calvinus propinaverat: sufficit tamen doctrinam hanc ipsam, haud expressis ejus Autoribus, ut fidei & saluti ex dicta causa noxiā ibidem damnari. Nam Epitome Formulae Concordiae Art. XI. p. 621. ita; Credimus & sentimus,,, quando doctrina de electione Dei ad vitam æternam, eo modo proponitur, ut perturbatae piæ mentes ex ea consolationem nullam capere queant: sed potius per eam in animi angustias aut,, desperationem conjiciantur: aut impoenitentes in dissoluta sua,, vita confirmantur: quod articulus hic non ad normam verbi,, & voluntatis Dei, sed juxta humanæ rationis judicium, & qui-, dem impulsu Satanae male & perperam tractetur. Quæcun-, que enim scripta sunt [inquit Apostolus] ad nostram doctrinam,, scripta sunt, Rom. XV. 4. ut per patientiam & consolationem,, Scripturarum spem habeamus. Rejicimus itaq; omnes, quos,, jam enumerabimus, errores. Quod Deus nolit, ut omnes,, homines pœnitentiam agant, & Evangelio credant. Quando,, Deus nos ad se vocat, quod non serio hoc velit, ut omnes ho-, mines ad ipsum veniant. Quod nolit Deus, ut omnes salven-, tur, sed quod quidam, non ratione peccatorum suorum ve-, rum solo Dei consilio proposito & voluntate, ad exitium desti-, nati sint, ut prorsus salutem consequi non possint. &c. Hæc,, dogmata omnia falsa sunt, horrenda & blasphemæ, iisque piis,, mentibus omnis prorsus consolatio eripitur, quam ex Evange-, lio & sacramentorum usu capere deberent, & idcirco in Eccle-, sia Dei nequaquam ferenda. Et solida Ejusdem Declaratio art., XI, p. 800. Æterna electio sive ordinatio Dei ad vitam æternam,,

K 2

non

„non nudè, in arcano illo cœlesti & imperférutabili Dei consi-
 „lio consideranda est: quasi ea nihil præterea amplectatur, aut
 „in ea meditanda expendendum sit, nisi hoc quod Deus prævi-
 „derit, quinam & quothomines salutem sint consecuti, &
 „qui, atq; quam multi in æternum sint perituri: aut, quasi Do-
 „minus militarem quendam delectum instituerit, atq; dixerit aut
 „statuerit: hic salvandus est, ille vero damnandus: hic ad finem
 „usque in fide constans perseverabit, ille vero non perseveratu-
 „rus est. Ex opinione enim hac multi absurdas, periculosas
 „& perniciosas cogitationes hauriunt: quæ aut securitatem &
 „impoenitentiam, aut angustias & desperationem in mentibus
 „hominum gignunt & confirmant. It. p. 822. Quare si quis do-
 „ctrinam de æterna Dei prædestinatione eo modo proponat, ut vel
 „perturbatæ mentes ex ea consolationem nullam haurire possint,
 „sed potius ad desperationem illis causa præbeatur: vel impoe-
 „nitentes in sua securitate, improbitate & malitia confirmentur:
 „tum nihil certius est, quam quod articulus de electione non ad
 „normam & juxta voluntatem Dei, sed secundum humanæ ra-
 „tionis cæcum judicium, & ex impulsu atq; instinctu Diaboli &
 „perverse doceatur. Jam cum ovo ovum non magis simile
 esse possit, quam isti antiquæ hæc, quæ adhuc in Calvini Schola
 obtinet, doctrina decisio eadem, quæ de ista à Formula Con-
 cordia proposita fuit, & de hac lata censemitur.

§. XXI.

Et quamvis in Augustana Confessione de Electione, an ea
 per fidem in Christum facta sit, sive an fides Electionis sit causa
 impulsiva externa? nulla explicita existat mentio, cum contro-
 versia contra hanc Lutheranorum doctrinam tum nondum pub-
 lice mota fuerit: implicite tamen quæstio hæc satis jam ibidem
 decisa conspicitur. Nam quando Art. IV. docent Confesso-
 res, „Justificationem fieri propter Christum per fidem, sive pro-
 pte

pter Christum fide apprehensum, satis aperiunt etiam propter Christum fide apprehensum Electionem factam esse, adeoque à fide in Christum, tanquam causa impulsiva, non esse absolutam, ut nunc Calvini Schola profitetur. Causa enim Justificationis & Electionis impulsiva externa utrinque non potest non eadem esse. Patentur etiam pii Majores nostri Art. XIX. librum arbitrium esse omnibus hominibus in malis operibus, ut est: velle idolum colere, velle homicidium &c. Sequitur ergo, decretum Dei ut sic non esse determinativum, neque adeo absolutum, per consequens falsum esse, quod hinc Electionis & cum eo connexum, Reprobationis decretum non posse non, juxta Calvini Scholam, ab omni causa impulsiva externa & speciatim à fide ac apostolia esse absolutum. Haud minus statuunt Art. XIX. Causam peccati esse voluntatem malorum, atque ita Dei decretum ut sic non esse absolutum ab omni causa impulsiva externa declarant; quia hoc Deum facit causam peccati. Manifeste ergo impietatis damnant Calvini haeresin, quae, dum decretum Electionis ac Reprobationis adeo à causa impulsiva externa absolutum esse propugnat, Deum facit causam peccati. Quemadmodum autem ex cognita decreti absoluti natura, quae tum non alia fuit, ac nunc est, jam tum patuit, id fidei & salutis fundamentum labefactare; sic simul jam tum implicite in hac Majorum Confessione hæc pronunciata de illa continetur sententia.

§. XXII.

In providentiae & sapientiae divinae arcana non descendit, qui, damnato Calvini absoluto prædestinationis decreto, per fidem in Christum Electionem factam esse docet, sed revelatum in Scriptura sacra aeternum Dei de salute humana consilium expōnit. Joh. Brentium & Jacobum Andreæ aliter vel fecisse, vel faciendum statuisse, nunquam probabitur,

§. XXIII.

Si Electionem à priori rimari idem est ac Electionis naturam

in

in se ratione causæ impulsivæ externæ perscrutari , & ex ea inspe-
 Et, utrum aliqua ejus causa impulsiva extēna , eaque fides in Chri-
 stum sit, nec ne, judicare ; non potest ex consideratione naturæ
 actuum immanentium Entis infinite perfecti aliud concludi, quam
 quod illius actus, qui Electio dicitur, causa impulsiva extēna, sive
 ratio à priori, detur. Id quod etiam divina revelatio ita con-
 firmat, ut & fidem in Christum eam esse enuntiet. Ab hoc ergo
 Scrutinio si nobis abstineendum est , ad lucidissimum rationis pari-
 ter & revelationis jubar oculos claudere jubemur. A posteriori ri-
 mari Electionem , si est ex cognito Electionis effectu de illius na-
 tura judicium ferre, queritur, quid per Electionis effectum intel-
 ligatur ? Si effectus decreti Electionis statuitur actualis salvatio,
 qui et vere effectus illius est , non potest ex illo aliud de decreto
 Electionis formari judicium, quam quod & detur illius causa impul-
 siva extēna , & ea nulla alia nisi fides in Christum , finalis sit. Sin
 Electionis effectus falso cum Calvini Schola affirmatur esse fi-
 des in Christum, atque ex hac, cum quis eam in se percipere pu-
 cat, se esse electum colligit, is Electionis naturam rimatur, quem-
 admodum sibi quidem persuadet, à posteriori , si ex ejus effectu
 illud à fide in Christum absolutum esse afferat.

§. XXIV

Quo pacto non tantum non tota uno habitu lis, quæ de Elec-
 tionis articulo inter dissentientes movetur, diffata in auram abit,
 sed etiam magis aucta fortius stabilitur. Nam in eo tota inter dis-
 ceptantes de Electionis articulo inter se Lutheranos & Calvini Se-
 etatores versatur controversia : an Electionis causa impulsiva extēna
 sit fides in Christum ? Ex quibus illi quæsumus affirmant , hi,
 dum absolutum Electionis decretum tuentur, negant. Si au-
 tem in quæstione : an decretum Electionis à fide in Christum abso-
 lutum sit ? in libero Dei arbitrio juxta Virum Celeberrimum acqui-
 escendum est, eo sensu, ut judicium hic suspendendum sit, ceu ista
 verba sua, quibus Institut. Theol. l. c. usus est, explicat Alloq. Iren.
 L.c.

I. c. neque à Lutheranis affirmari, neq; à Calvini Schola negari debet, fidem in Christum esse Electionis causam impulsivam externam, sed utrinq; epocha requiritur. Quamvis hic in libero Dei arbitrio acquiescere, & judicium suspendere, non omnino sibi æquipolleant. Si enim arbitrium Dei liberum, seu voluntas Dei libera, idem est ac voluntas independens à voluntate superioris, volendi leges ipsi præscribente; etiam hoc sensu tum, quando voluntatis Dei aliquam causam impulsivam externam esse novimus, in arbitrio, sive voluntate Dei libera, acquiescendum nobis est. Sin per liberum Dei arbitrium, sive voluntatem Dei liberam, intelligitur voluntas Dei, per naturam Dei libera à causa impulsiva externa, petitur id, quod est in Principio. Tum vero utrum Electionis nullam causam impulsivam externam ostendi à nobis posse, an saltem epochen hic locum habere, statuendum sit? adhuc ambigere se declarat Vir Celeberrimus Dissert. de gratia & Prædest. p. 122.
 §. X. Quod si, inquit, omnia hæc, quæ haætenus deditus de, gratia & Prædestinatione Systemata æqua judicii lance perpendamus, vix ullum occurret, quod ex omni parte satisfaciat & cui, opponi nequeant Argumenta solvi nescia, ita, ut ad voluntatem Dei absolutam, seu eam, cujus non dari possint rationes, aut saltem epochen & bathos Paulinum non sit recurrendum. Mox tandem p. 123. Deniq; non errabimus, si dixerimus & nobis quoq; postremo ad liberam Dei voluntatem, cujus rationes nesciamus, utpote in abyssō scientiæ divinæ absconditas, esse deviniendum. At si Electionis decretum in Calvini Schola absolutum dici vult Vir Celeberrimus, non quod ista hujus nullam causam, sive rationem impulsivam externam esse, sed, quænam sit illius ratio impulsiva externa, ostendi à nobis non posse existimet, invitæ isti patrocinium suum offert. Ita enim hæc decretum illud à causa omni impulsiva externa absolutum esse definit, ut ad ipsam Dei, tanquam Entis Independentis, naturam, quæ decreti sui nullam causam impulsivam externam admittat, se recipiat. Id quod vel ex Röellii recentissimi & magni nominis in Schola illa Doctoris, in super-

superioribus à me profigata de absoluto decreto doctrina perspicuum est.

§. XXV.

Fac tamen vi horum causam aliquam impulsivam externam Electionis, eamq; fidem esse in Christum, nescire nos; certe nec causam, cui in salutis spe concipienda certissima inniti debemus, scire nos sequitur. Quod si suspendendum hic judicium est, etiam de causa salutis nostræ impulsiva externa, an ea sit fides in Christum, haud minus de universalitate gratiæ Dei & meriti Christi iudicium suspendendum erit. Quid de Dei sanctitate, ipsaq; Dei essentia, an illa hujusmodi fit, ut per illam Deus, an non Deus dici beat, juxta ea, quæ contra Röellum demonstravimus, epoche eligenda erit. Videt sane Vir Celeberrimus, quod desperationem absoluti decreti causam sic juvando, à Scriptura & à sc. ipso deficiat.

§. XXVI.

Meminerit enim illorum, quæ Instit. Theol. p. 261. profesus est. Patet, inquit, juxta Reformatos fidem prævisam electionis causam moventem haud esse sed voluntatem Dei absolutam, cujus nulla dari queat ratio, heic utramq; paginam facere. Ubi quidem absolutam Dei voluntatem, cui electionem tribuunt Reformati, eam dicit esse, cujus nulla dari queat ratio, sed tamen ita, ut fidem Electionis causam moventem esse simpliciter negent. Atque sic, dum à Reformatis eos, qui Augustanam Confessionem tenent, & inter hos etiam se ipsum dissidere exponit, etiam dissidente & Aug. Confessionem & se ipsum ab istis, qui fidem negant esse causam impulsivam Electionis externam, ac simul nullam dari posse Electionis causam impulsivam externam affirmant, asserit. Quin diserte fatetur, atq; ex Scriptura probat, l. c. p. 265. Electionis causam moventem esse Dei beneplacitum & gratiam & meritum Christi fide apprehensum, Eph. I. 4. 5. idq; prævisum Rom. VII. L.

234

29. 1. Pet. I. 20. unde & Electio ex prævisa fide fiat, 2. Thess. II;
 13. 1. Tim. I. 16. Jac. II 5. Si itaq; cum Scriptura Vir Celeberrimus docet, Electionem esse ex fide, sive Electionis causam impulsivam externam esse fidem, satis liquet iuxta eandem in quæstione: an fides in Christum sit causa impulsiva externa Electionis? in Libero Dei arbitrio ita esse acquiescendum, ut de illa judicium suspendendum, sive ad epochen recurrentum sit, dici non posse; nisi Contradicторia affirmentur. Vel ergo in Controversia de articulo de prædestinatione sive electione, judicium suspendendum non est, vel, fidem esse Electionis causam impulsivam externam, dici non potest.

§. XXVII.

Jam ad Paulinum Bathos confugere atq; ex illo epochen de controversia de articulo de electione adeoq; de quæstione: an fides in Christum sit Electionis causa impulsiva externa, conari eruere inanis operæ res est. Si enim quam maxime hic locus quæsitum probaret, tamen ex eodem illud probandum Vir Celeberrimus suscipere non posset, nisi dum Electionem ex fide esse statuit, illum contra se produceret. Sed & Paulus Universæ Scripturæ & sibi ipsi contradiceret, si, dum quod Universæ Scripturæ Centrum est, in hac Epistola & alias ipse docet; qui justificantur & salvantur, propter Christum fide apprehensum justificari & salvati, atq; adeo qui electi sunt, propter Christum fide apprehensum electos esse, de eo tamen, an propter Christum fide apprehensum electio facta sit, suspendendum esse judicium per hoc bathos moneret. Id quod tamen faceret, si omnibus, qui de Articulo de prædestinatione magnas lites inter se agitant, suspendendum de illis judicium injungeret. Præterea Apostolus in toto Cap. XI. Ep. ad Rom. plane non agit vel de Electione vel de Reprobatione, verum tantum de Judæorum incredulorum rejectione à justitia, & gentilium credentium in iliorum locum assumptione, Paulus autem, si de vera illius mente quæritur, dum immensum illum omnis sapientia & scientia divinæ

L

cumu-

Cumulum, cum profunditate, ob vastissimam amplitudinem imperscrutabili, comparat, Dei Consilia corumq; rationes cognosci non posse ostendit, nisi & consilia sua & eorum rationes ipse Deus aperiat. Ad quod bathos inde sic Judæorum rejectionem & gentilium adoptionem refert, ut nihilominus Consilii illius ac causæ ad illud incundum impellentis cognitionem divinæ revelationi tribuat. Unde omne Dei de salute consequenda consilium, ab æterno initum in abysso tu pluto sophias kai gnoseos Theu its continetur, ut, nisi ipse consilii sui auctor id hominibus revelet, nihil quicquam ullus mortalium de eo sciatur, neque postquam de eo aliquid revelavit, plus, quam ipse manifestavit, de eodem assequi quisquam valeat.

§. XXVIII.

Præcipites ergo velint nolint de fidei & salutis fundamento cadere necessam habeant, ac non in illud bathos tantum sed & in universam Scripturam inviti inspiciant illi, qui quæstionem, an fidès in Christum causa impulsiva Electionis sit? affirmantibus, vel negando, vel judicium suspendendo, adversantur. Nos qui fundamentali huic veritati immoti innitimus, de ruina prorsus securi, intrepide & Paulinum bathos & universam Scripturam inspicimus, dum illud nobis non obstare, ex hac autem de sententia nostrâ veritate divinitus nos confirmari, læti cernimus.

§. XXIX

Oppositum quidem ostendisse se opinatur Vir Celeberrimus „Dissert. de gratia & Prædest. I. c. dum sic pergit: Scilicet cum supponamus universalem Dei erga totum genus humanum, eumq; serium „summumq; amorem, quod multæ sint rationes multæq; hominum „myriades, quæ nihil unquam de Christo inaudivere, credamusq; in „simul, neminem nisi per extnum Evangelii verbum salvari, af „firmandumq; nobis sit. Deum pro sapientia sua potuisse vel posse „omnes homines vel sicutem quosdam salvare, si omnibus, vel sal „tem quibusdam illis alioqui pereuntibus vel peritatis dedisset vel

daret

daret eam gratiæ mensuram, qua data prævidisset singulos eos perseveranter credituros, oriuntur quæstiones: Cur itaq; Deus qui- busdam saltem eam gratiæ dederit mensuram, qua posita eos prævidit credituros, alijs eam saltem, qua posita prævidit non credituros, credituros autem si majorum in ipsis dedisset gratiæ gradum,, Cur porro Deus non omnibus annunciandum curet Evangelium,, eamq; lucem huic largiatur nationi, aliam negligat, cum tamen ob incredulitatem nemo possit damnari, nisi qui Evangelium au- diverit. Cur Evangelio à duobus populis rejecto ejusdem æqua- lisq; ex omni parte peccati reis, hunc Deus revocet repetita Evan- gelii prædicatione, alterum non item? Cur Deus deniq; hunc hominem in peccato mortali perire sinat, alterum nihilo melio- rem ad resipiscientiam revocet? Ad quæ quidem quæsita ita re- spondent maximam partem nostrates, ut, dum de voluntate con- sequente maxime hic agi putant, ad liberum Dei arbitrium tan- dem recurrent, & bathos consiliorum divinorum impenetrabile. Id quod cum Reformatis subinde objiciat Hülsemannus, affirmans, eos quando se expedire non possunt, vociferari: O altitudo! Sane, & nobis maxime in argumento de varia & inæquali mediorum fa- lutis dispensatione deq; ejusdem cum benevolentia Dei universali, conciliandæ ratione uero sapienter venit, ita, ut cum Apostolo Paulo, fateri habeamus necesse, nos judiciorum voluntatisq; divinæ rati- ones ignorare. At vero status ille controversiæ, quem Institut. Theol. & Alloq. Iren. I. I. c. c. de articulo Prædestinationis sive Electionis format, dum quod causam illius nesciamus, per Paulinum bathos ostendisse se ibi affirmat, plene hic deseritur. Nam in eo occupatur hic C. V. ut inæqualium ceu nobis quidem videntur, inæqualis ad fidem vocationis causas nescire nos, Paulum hoc suo sermone aperire afferat; intacta prorsus illa de causa impulsiva ex- terna Electionis Controversia. In quo quamvis hoc certum sit, quod Deum ad denegandam quibusdam fidem causa in singulis im- pellat justissima, adeoq; nulla in Deo, sed omnis in homine dene- gatæ ipsi fidei culpa extet; cum impulsiva causa hæc in genere sit voluntaria hominis resistentia, Deo opposita, vel per lumen naturæ

L 2

ad

ad lumen gratiæ & per hoc ad fidem in Christum eum ducturo; vel per lumen gratiæ, nullo alio medio intercedente, fidem ei collaturo: causam tamen hanc, juxta speciales circumstantias in singulis, nescire nos, fatendum est. Sed ab hac ignorantia, ad ignorationem causæ impulsivæ externæ Electionis concludi minime potest. Neq; confundi debet Articulus de gratia convertiici & effectrici fidei cum Articulo de Prædestinatione sive Electione, nec decretum dandi fidem, cum salutem dandi decreto.

C. XXX.

Hinc neq; Paulinæ abyssō isti universalitatis gratiæ Dei & meriti Christi, cum vocationis ad fidem per annunciatum Evangelium particularitate Conciliatio ita relinquunt debet, ut cum Viro Celeberrimo ad Remonstrantium Castra transeundum sit, adoptata ista horum hypothesi: Ob incredulitatem neminem posse damnari, nisi qui Evangelium audiverit. Cui sententia etiam inhæret Institut. Theol. p. 476. sic locutus: Non est nulla ista, quæ oggeritur, quæstio, qui cum universalitate amoris Dei erga homines, qui cum universalitate meriti Christi particularitas vocationis conveniat. Ubi hi quidem, qui apokatastasin pantom statuunt, & post mortem salutis, Oeconomiam continuari dicunt, nodum quidem illico vel secant, vel solvunt, si saltem claris divinarum literarum effatis sua probare quirent. Nos, uti alias, ubi lucem videre haud datur, hic IGNORANTIAM nostram fatemur, idq; & hic reperimus. Deum justum, juditem ob incredulitatem neminem damnaturum, nisi qui Evangelium audiverit, infinitosq; fore olim salutis & damnationis gaudus justissime pro mensura luminis, quo quisq; collustratus, vel tenebrarum invincibilium, queis obseptus fuit, dispensandos. Idem sane tradunt Stephanus Curcellæus Inst. Relig. Christ. L. VI. Cap. X. §. XI, seq. p. 388. It. Quat. Dissert. Theol. adversus Sam. Marres. Dissert. II, § III seq. p. 920. seq. op. edit Amst. 1675. fol. Philippus à Limboreh Theol. Christ. L. IV. Cap. IV. §. XIII. pag. 316. Cap. XI. pag. 347. seq. edit. Amst. 1715. fol. item Comment. in Act. Apost. Cap. IV, 12. p. 55. edit. Roterod. 1711. fol. Joh. Clericus animadv.

animadv. in Hammondi Annot. in Act. Apost. Cap. IV. 12. p. 500.
ed. t. Francof. 1714. fol. Hist. Ecclesiast. Proleg. §. 3. p. 89. 90. edit.
Amstel. 1716. 4to.

§. XXXI.

Quando vero sic neminem ob incredulitatem damnari posse,
cui Evangelium annuntiatum non fuit, docetur, vel negatur, quod
omnis damnetur cui Evangelium annuntiatum non fuit; vel affir-
matur, quod omnis quidem, cui Evangelium annuntiatum non
fuit, damnetur. sed nemo cui Evangelium annuntiatum non fuit,
propter incredulitatem damnetur. At si ex Scripturæ judicio hic
pronuntiandum est, & omnem qui non credit simpliciter, sive Ev-
angelium ei annuntiatum fuerit, sive minus, damnatum iri, juxta
Marc. 16. 16. Joh. 3. 18. & omnem qui damnabitur, ob incredulita-
tem damnatum iri, juxta Joh. l. c. luculentissimum est.

§. XXXII.

Uterutrum ex his sibi eligat V. C. frustra se expedire conatur,
quando Instit. Theol. hæc assert p. 17. Quod de Evangelio haud,,
ab ipsis semperq; prædicato dicitur, id nec bonitatem Dei, nec re-,
ligionis Christianæ veritatem necessitatemq; jugulat. Non illam,,
quia, qui sine religione Christiana peccaverit, sine ea quaq; con-,,
damnabitur. Rom. II. 22. nec omnem gratiæ suæ, per Christum quæ,,
hominibus contingit & tam in hoc quam in futuro ævo dispensatur,,
Oeconomiam Deus revelavit, non sine summa temeritate à nobis,,
qui et merus saltem gnoskomen, I. Cor. XIII 12. determinan-,,
dam, nec deniq; ad condemnandos eos, qui propriaculpas sua Ev-,,
angelium haud ignoravere, ruere quisquam eaque, quæ de iis,,
quibus Evangelium annuntiatum fuit, dicuntur, ad eos quoque,,
quibus ista gratia haud contingit, applicare potest. Rom. X. 14. etsi,,
bonitati divinæ limites ponere, qua ratione tamen & ipse sibi ci-,,
mene deberet, haud vereatur. Neque vero & Religionis Chri-,,
stianæ veritas & necesitas sic cadit, cum posterior quidem iis sine,,
dubio incumbat, quibus ea revelata est, id quod nobis sufficit, fa-,,
cilisque hic inter viam Dei ordinariam & extraordinariam vari,,
asque

„asque gratiae, quas jam memoravimus, Oeconomias sit distin-
 „ctio, prior vero sarta & tecta maneat, quamquam etiam de co-
 „rum quibus Evangelium haud immotuit, salute [neque enim
 „quod ad salutem hominibus acquirendam necessarium fuit, eo
 „ipso statim cognitu necessarium est] vel condemnatione senten-
 „tiam inieris. Teterum cum innumeri futuri sint felicitatis &
 „poenarum in venturo ævo gradus, Deusq; singulis singulos pro
 „cujusq; operibus redditurus sit, facile quis videt multas circa
 „hoc Argumentum difficultates subito jam evanescere, bonita-
 „temq; Dei cum particulari Evangelii prædicatione hujusq; veri-
 „tate amice conspirare.

§. XXXIII.

Enimvero Rom I. c. Ethnici, qui sub lege Mosaica erant,
 lege illa non condemnati perire dicuntur. Hinc autem non se-
 quitur, illos qui Evangelium non audiverunt atq; adeo per fidem
 in Christum salvandos esse homines ignorarunt, propter carenti-
 am illius fidei datum non iri. Nam Evangelium quod uni-
 cam salutis viam esse ostendit fidem in Christum, ad omnes &
 singulos homines spectat. Revelavit illud etiam Deus eum in
 finem, ut illius omnes & singuli homines notitiam assequantur,
 atq; ita quidem, ut & assequi eandem omnes & singuli homines
 possint. Deum non omnem gratiae suæ, quæ remissis peccatis
 per Christum hominibus contingit, ac in hoc ævo dispensatur,
 oeconomiam revelasse, ex allatis falsum est. Fides enim in Chri-
 stum per hæc ita Dei placandi & salutis consequenda medium o-
 mnibus & singulis constituitur, ut qui hoc medio destituitur, gra-
 tia Dei aeternum privatus damnandus sit. Itaq; præter fidem in
 Christum gratiae divinae & salutis impetranda nulli, & in hoc tan-
 tum ævo, oeconomia dispensatur. Decepisset etiam Apostolus
Act XX. 27 suos, & cum his ad mundi usque finem subsecutu-
 ram extatorem, dum pasan bulen tu Theu illis se annuntiasse te-
 statur, si præter hanc gratiae Dei & salutis per fidem in Christum
 consequenda in hac vita Oeconomiam, adhuc alia dispensare-
 cupas

tus

tur à Deo per Paulum illis non revelata. Unde cum 1. Cor. XIII.
 1. scientiam nostram in hac mortali vita ex meritis esse dicit,
 neutquam vult partem tantum aliquam de gratiæ Dei & salutis
 consequendæ mediis, non omnem vero illorum complexum ex
 divina revelatione nos tenere; sed consummata illa, quæ beatis in
 futuræ vita statu Deum prosopon prosopon intuituris
 continget, Dei cognitione nos hic nondum potiri significat. Hos
 ergo, quos Christus & Paulus definiverunt, transilire limites, sum-
 mæ temeritatis, & Paulum adversus Christum & se ipsum testem
 advocare est. Nemo Evangelium ignorat nisi culpa sua. Si au-
 tem vel unus Evangelium ignorat non sua culpa, Deus in culpa
 est, quod ille Evangelium ignoret, ut pote qui med a, per quæ ad
 Evangelii notitiam pertingat, obvenire ipsi absolute noluit.
 Quandoquidem Scriptura illis, quibus Evangelium non annunti-
 atum est, adeoç Christus à salvandis fide apprehendendus non
 innotuit, damnationem & que tribuit ac ceteris, quibus Christus
 annuntiatus, sed finali apostolia ab illis repudiatus est; quemlibet ita
 cum Scriptura statuere fas est. Rom. X. 14. dicitur, quod nemo pos-
 sit in Christum credere, cui Evangelium de Christo non annunti-
 atum est; sed non affirmatur, quod nemo, cui Christus non an-
 nuntiatus est, in culpa sit, quare Christus ipsi non annuntiatus fue-
 rit. Neque bonitati Dei quisquam, qui ob apostolianum quemlibet, sive
 audiverit quicquam de Christo, sive minus, damnatum iri afferit,
 limites ponit: sed limites illos, quos ipse Deus bonitati suæ posuisse
 se revelavit ostendit. Nam Scriptura, dum fidem in Christum vi-
 am ad salutem esse ita monstrat, ut, qui huic viæ non insisteret,
 cum in via, quæ ad damnationem ducit, incedere exponat, præ-
 ter hanc salutis viam, tanquam ordinariam, aliam esse, quæ sit ex-
 tæordinaria, non tantum non affirmat, sed & absolute negat.
 per varias gratiæ Oeconomias Vir Celeberrimus illas significat
 de quibus supra scripsit, non omnem gratiæ suæ per Christum quæ
 hominibus obtinet, & in hoc & futuro ævo dispensatur, Oecon-
 miæ revelasse Deum, memorasse quidem se eas dicit, sed ubi e

cc.

tent memoratæ, non comparet. Et quomodo memorare eas potuit, quas Deum non revelasse tradit? Alia ergo, ceu ostensum est, cum Deo in gratiam redeundi Oeconomia existit nulla, præter eam, omnibus gratiam Dei & salutem adepturis in hac solum vita præscripta, quæ est per fidem in Christum. Dictu quidem facilis illa inter viam Dei ordinariam & extraordinariam, variasq; gratiæ Oeconomias distinctio est; sed probata ita difficilis, ut Viro Cœlēberrimo simpliciter adynatos sit. Quod ad salutem hominibus acquirendam necessarium fuit, est, teste Scriptura, unica Christi satisfactio, ita tamen propter hanc salutem consecuturis cognitu necessaria, ut non cognita nulli applicetur, non autem applicata ad salutem actu consequendam nulli prospicit. Quemcunq; posthanc vitam quis felicitatis gradum obtinet, is summe felix, sive beatus est; in quocunq; autem posthanc vitam poenarum gradu quis versatur, is summe miser est. Nemo enim tum ullo modo felix est, nisi summa beatitudine fruatur, & nemo tum poenam ullam patitur, nisi infinitam infernalis flammæ miseriam sustineat. Cum neminem Evangelium ignorare nisi sua culpa, & hinc, tenebras invincibiles, quibus in hac vita obseptus fuerit, obtendere posse, supra probatum fuerit, nemo, qui Christum hic ignorat à damnatione excluditur, quamquam poena gradu differat à ceteris, qui Christum sibi annuntiatum voluntarie repulerunt. Vel illis adeo, „qui rationi recte convenientius vixerint remissis ex mera Dei misericordia peccatis, cum Job. Clerico post hanc vitam felicitatis aliquem gradum, extra salutis & damnationis statum, assignare; vel cum Philippo Limborchii sicut triplicem hominum in hoc ævo statum, credentium, incredulorum & ignorantium, ita etiam triplicem post hanc vitam statum hominum fingere, vitæ æternæ, qui sit credentium cruciatum infernali, qui sit incredulorum, & præter hos, statum ignorantium, qui licet expresse, qualis futurus sit, definire eum nequeamus, tamen a duobus prioribus distinctus sit, est adversus Scripturam, & in ea reuelatam Dei justitiam, pugnando, præmia & poenas justæ cuivis

cuius distribuendi rationem ex suo ingenio accersere. Nam nullus unquam convenienter rationi vixit, nisi simul fide in Christum donatus fuerit. Neque remittuntur ulli peccata ex sola Dei misericordia, sed propter fide apprehensam Christi satisfactionem. Itaque quia Scriptura in duas tantum Classes universa hominum individua in hac vita colligit, credentium & non credentium, ideo etiam post hanc vitam non nisi duplum statum vel vitae æternæ vel damnationis omnibus decernit, Joh. III. 18. C. V. 29. Matth. XXV. 46.

§. XXXIV.

Quemadmodum ergo Romanis ab Apostolo monstratum bathos, cum universalis Dei gratia & Christi merito fidei particularitatem conciliaturos non compellit, ut propter incredulitatem eos, quibus Evangelium annuntiatum non est,damnari non posse contra Scripturam statuant; sic nec idem, ut de quæstione; an fides in Christum sit causa impulsiva Electionis externa? judicium suspendamus, imperat.

§. XXXV.

Atque haud aliter ad hoc bathos delati gradum sistunt Theologi nostri. Neque inter hos B. Hülsemannus Calvini Scholam cum Paulo O Altitudo! vociferantem reprehendit, nisi quod in illa Doctores, cum prædestinationem suam absolutam probaturi quo se vertant nesciunt, in Apostolico hoc effato refugium querant. Merentur hic legi quæ præclare hunc in finem ipse scripsit de Auxiliis gratiæ p. 156. mentem ejus satis vindicatura. Confidendum, inquit, est, in Oeconomia & mediis vocandi, sive administratione mediorum salutis arcana quædam occulto Dei judicio, permittenda, & exclamandum cum Apostolo: O Altitudo! ex Rom. XI. 33. non, quasi absolutæ reprobationis decreum sit inscrutabile, uti nemo non Calvinistarum exponit; [Falsum est, non, Apostolum applicare hoc dictum ad inservientiam causa-

M

GUD

rum reprobationis: Connexio ostendit illud applicari ad inevi-
 dentiam causarum vocationis missæ gentilibus æque indignis, ac
 , Judæi erant, vers. 20 21 22. 23. seqq.] Sed quia stante evidenti
 voluntate Dei, de salvandis omnibus; stante Christi & Ecclesiæ
 communi intercessione pro non conversis; dispensatio tamen
 mediorum salutis inter aquales tūm inæqualis est, ut ex parte
 hominis, neq; à priori, neq; à posteriori causam proximam, &
 infallibilem deprehendere possumus. Tum ubi, quod univer-
 sus Patrum Chorus in primis B. Augustinus, qui hoc dicto Apo-
 stolico velut Ægide se tegat, non ad absolutum reprobationis de-
 cretum vestiendum, sed ad defendendum imparitatem gratiæ,
 paribus in eadem perditione constitutis collata, atq; hos secuti
 Lutherus, Formula Concordiae, Chemnitius, Hutterus, Meis-
 nerus, Gerhardus, id confessi fuerint, commemorasset, ad abso-
 luti decreti in Calvinii Schola Architectos se convertit pag. 159.
 hunc in modum locutus: Ut immerito Tossanus & Pareus in
 Comment. nobis objiciant; ac si Arcano Dei judicio nullum lo-
 cum deus; damus eum reverenter. Nam et si præteritionis &
 reprobationis causas in singulis hominibus sufficientes & evi-
 dentes demonstrare possumus; in paritatis tamen causas, cum
 in poenarum inflictione, quando paria delicta sunt, tūm in
 beneficiorum restituzione, quando utrinq; par indignitas est;
 deniq; in exspectatione poenitentiae, vel longiore, vel brevio-
 re, atque infinitis aliis demonstrare non possumus. E contra Cal-
 vinistarum domestici antequam invicem separati essent, Collo-
 cutores nempe Hagenses p. 119. Edit. Brandii patentur: Quando
 nostram absolutam prædestinationem tueri non possumus, ha-
 bemus semper in ore Pauli verba Rom. XI. O Profunditatem
 divitiarum &c. Quidam in margine adscripsit: Calvinistæ, quan-
 do se expedire non possunt, vociferantur: O Altitudo!

§. XXXVI.

Tandem neque Augustini neque Lutheri sententia, quo
 minus

minus absoluti decreti Doctores fundamentaliter errent, impedit. Nam Augustinum decretum absolutum cum Calvini Schola constanter docuisse, quibus Argumentis demonstrabit Vir Celeberrimus? Certe non tantum Augustini ætate, sed & post Augustinum per aliquot secula absoluto decreto ita contraria asserta sunt Ecclesia, ut illud in Prædestinatianis etiam & Godeschalco atq[ue] a seclis tanquam impium dogma damnaverit, nunquam tamen in erroris istius impii societatem relata Augustini doctrina. Quin, qui Prædestinatianorum heresin ex male intellectis Augustini Scriptis haustam arbitrati sunt, ab absoluti decreti errore Augustinum hoc ipso sane absolverunt. Præterea ipse Vir Celeberrimus dissent. cit. pag 93. nec Systema Augustini ab omnibus contradictionibus liberum esse, nec ita positum vult, ut verba, aliquando varie explicari nequeant, nullum logomachii lecum relictura. Si autem ex verborum ambiguitate de mente Augustini certitudo colligi nulla potest, quomodo **absolutum** decretum cum Calvinio affirmasse Augustinus censendus erit?,, Sed & ib. p. 96. fatetur, Theologos nostros, Augustinum potius, ad Reformatorum quam ad nostram sententiam deflectere adeoque absolutum decretum docere, hactenus negare visos esse.,, Qui ergo Augustinum **absolutum** à fide Electioni, decretum statuere negant, illis objici non potest, quod, dum Augustinum ob **absolutum** decretum non damnant, Calvinii tamen Scholam propter pertinaciter defensum **absoluti decreti dogma** erroris fundamentalis arguant.

§. XXXVII.

Lutherum à Lutheranis Theologis **absoluti decreti** nunc insusari, mira omnino res videtur, maxime cum toties contra Calvinii Scholam, Lutherum hic in partes suas trahere conaram, à Lutheranis de Luthero probatum contrarium fuerit. Itaq[ue] **Argumenta**, qua pro Luthero sibi hic assentiente attulerunt Lutheranis,

rani, si minus valida quis putaverit, quid in istis ipse adhuc non animadversum ab aliis, quibus eadem opposita sunt desideret, ei ostendendum, non vero nudæ contradictioni inhærendum erit.

S. XXXVIII.

Manebit ergo absolutum à fide in Christum Electionis decreto, dum erit, dogma, quod quia infinitæ Dei sanctitati inimicum est, fidei & salutis fundamentum penitus evertit, atque adeo, quo minus cum illis, qui istud amplectuntur, societatem Ecclesiasticam inire, Lutherani queant, perpetuo obstabit.

F I N I S.



EMENDANDA.

In Dedicatione.

leg. p. 1. lin. 17. Personae

— 23. ἔχοντες μόρε Φωσιν τῆς εἰ-
σεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἡρη-
μένος

p. 1. lin. 25. μεταχηματισμὸν

p. 2. lin. 4. Φάντασμα
— intuentur

p. 14. lin. 13. 14. κατὰ βελήν τὸν θελή-
ματῷ αὐτῷ, αὐτῷ τῷ φεύγεσιν αὐτῷ,
lin. ult. αὐτοπευθύνω

p. 15. lin. 21. προκαταρκτικήν

p. 17 lin. 27. 28. λύτρον τοῦ αὐτόλυτρον,
lin. ult. compellit

p. 19. lin. 2. προορίζειν

lin. 12. προορισμὸν

lin. 17. προορίζειν

lin. 26. ἐνεργεῖν,

p. 20. lin. 5. ἐνεργεῖν,

lin. 6. τὰ πάντα,

p. 21. lin. 1. in absoluto decreto pro-
pugnando

lin. 18. gubernare, ne

p. 30. lin. 23. ἄπιστοι

p. 32. lin. 15. Πρέγγιωσις,

lin. 19. πρέγγιωσις

p. 33. lin. 6. DEUM

p. 34. lin. 3. 4. & in electis nibil fuit,
quod DEUM impulit ad eos repro-
bandos, etiam in reprobis nibil fuit,
quod DEUM impulit ad hos repro-
bandos.

p. 39. lin. 15. ἐυλογητὸν,

lin. 19. ἐυδοκία

p. 41. lin. 3. nisi ab eo,

lin. 6. sit non -- DEUS,

p. 42. lin. 1. πρέγγιωσις

p. 43. lin. 1. 1. Petr. IV, 19.

lin. 7. ὅν αἴγαδοποιά

lin. 27. ἔχόμενα σωτηρίας, εας, quia
cum salute

lin. 29. αὐτοπόνερτῷ

In Exercitatione.

leg. p. 1. lin. 2. istam

— p. 2. lin. 17. ratio ex credendorum p. 21. lin. 1. in absoluto decreto pro-
numero, prae &c. pugnando

p. 8. lin. 12. illa

p. 12. lin. penult. Θέλημα τοῦ ευδο-
κίας τοῦ θελήματῷ,

p. 12. lin. ult. p. 772.

— Θέλημα

p. 31. lin. 1. εὐδοκία

lin. 4. 5. βελήν τοῦ θελήματῷ
αὐτῷ,

lin. 5. & 6. πρέγγιωσιν τῶν αἰσθάνων,

lin. 9. θελήματι, voluntate προ-

ειθέντες,

lin. 13. διαν ως πρέγγιωσιν,

lin. 17. πρέγγιωσις,

lin. 18. πρέγγιωσιν

lin. 20. πρέγγιωσιν juxta πρέγγιωσιν

p. 14. lin. 5. προορισμὸν

lin. 6. πρέγγιωσιν,

lin. 7. προορισμός,

lin. 11. προορισμός,

- p. 44. lin. 6. χαρίσματα illa ἀπειπται
 μέληται,
 p. 46. lin. 4. εὐδοκία
 p. 47. lin. 2. ἀπτία
 — 7. χέσει
 p. 48. lin. 15. afferit,
 p. 49. lin. 26. μακροθυμία
 p. 50. lin. 9. εὐδοκίαν,
 p. 51. lin. 26. meritum Christi
 p. 52. lin. 8. κατὰ μέρος
 lin. 23. καδῶς ἐξελέξατο
 p. 53. lin. 28. ἐπεξήγησιν
 p. 54. lin. 2. οἰοθεσία
 lin. 13. & 14. ἐξαστίαι τίκνα Θεοῦ
 γίνεθαι
 lin. 23. Διὸς ιησὺ χειρός
 p. 55. lin. 4. εὐδοκεῖν
 p. 56. lin. 15. χαρίτωσις
 lin. penult. χαριτάσει
 p. 57. lin. 3. χάριν οχαρίτωσιν
 p. 58. lin. 8. ἀνακεφαλαίωσιν
 p. 59. lin. 13. salutem, sed ita elegit
 ad salutem, ut
 p. 60. lin. 1. 2. εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς πτω-
 ειποίησεως,
 — 5. λύτρος
 p. 63. lin. antepenult. DEO sanctitatem
 p. 64. lin. 25. Systemaque
 p. 65. lin. 4. βάθος,
 p. 70. lin. 23. ἀδύνατον
 p. 72. lin. 8. de Electionis certitudine
- p. 74. lin. 11. γνησίως
 lin. 14. γνησίως
 p. 78. lin. 19. 20. a posteriori, seu ex ejus
 effectu, ut illud
 lin. 21. uno balitu
 p. 79. lin. 3. ἐποχὴ
 lin. 14. ἐποχὴν
 lin. 21. ἐποχὴν οχ βαθός
 p. 80. lin. 9. Quid?
 lin. 11. ἐποχὴ
 lin. 13. a se Ipse
 p. 81. lin. 18. sibi Ipse
 lin. 26. suspendendum
 p. 82. lin. 8. τὸ πλάτυ συφίας καὶ
 γνώσιως Θεοῦ
 p. 83. lin. 27. ut aequalium
 p. 84. lin. 18. ἀποκατάσασιν πάντων
 p. 85. lin. 2. Proleg. Sect. II. Cap. VII.
 p. 89. 90. Edit. Amstel. 1716. 4t.
 Quibus consona in Bibliothecis
 eius Gallicis passim extant.
 lin. 22. οκ μέρος saltē γνώσκο-
 μεν
 lin. 30. πάσιν βαλην τὸ Θεοῦ
 p. 87. lin. 2. οκ μέρος
 lin. 6. ωρόσωπον ωρὸς ωρόσωπον
 lin. 17. ἀπτία
 lin. 22. ἀπτία
 p. 88. lin. 8. ἀδύνατος
 p. 89. lin. 11. merito vocationis ad si-
 dem particularitatem
 p. 90. lin. 20. Imparitatis

Coll. Diss. A 1771, lecsc 27.